GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [1] - -

Leibn. Marg.

0, 1

Randnoten von Leibniz

KM.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [2] - -

CHRISTO-PHORI BESOLDI, JC.

DE ÆRARIO PVBLICO

Discursus.




TVBINGÆ,
Typis Iohan-Alexandri Cellij,
Anno M. DC. XV.

11
Anglo
10.
2

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [3] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [4] - -

AD LECTOREM,

M. IOH. MARTINVS RAVSCHER, LL. St.

TU cui Regales Superum indulgentia Fasces
Aut latum in Populos contulit Imperium;
Quæris ut incedat solido Respublica nervo,
Et serves Civem quâ ratione tuum?
Cùm pariter Mavors, pariterq́; instabit Egestas,
Nec fugiet partes ille vel illa suas?
An mittes Clarios scitatum Oracula Delphos,
Plurima quà fervent Augure verba Deo.
Nil opus: ecce tibi è medio responsa Lycéo:
Publica res Fisco sospite sospes erit.
Sospite sospes erit Fisco Respublica. at ille
Ne pereat, vires Subdite subde tuas:
Sed faciles vires, modicasq́; & mole carentes,
Nec gravet invalidos sarcina vasta humeros.

Ne vires Fisco & nervos dum forte ministras,
Viribus exhaustus destituâre tuis.
Scilicet hoc Princeps moderabitur Optimus: unde
Subditus in censum non gravis æris erit.
Nam juga detrectat nimiùm cogentia Taurus,
Et gravis exilem deprimit aura ratem.
Ambigis? Autorum consensu teste probabit
Hic Liber, & dictis arguet hisce fidem.
Quæ non famosis gypsata Calumnia verbis
Atteret, aut strabi lima supercilij.
Palladis hoc scutum est! nigrum suspende lapillum
Zoile: stat flabris non Liber iste tuis.

DIS-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [6] - -

I.

DISCVRSVS POLITICI DE AERARIO PUBLICO.

CAPUT I.

REMPUBLICAM OMNEM aut Principatum, corpus esse civile, nemini non liquere puto. inibi ut Consiliarii, sedem vicemq; obtinent Mentis; cui tota hominis paret Natura: sic Pecunia rerum gerendarum Nervus est; *l. 1. §. in caussa. 20. ff. d. quæstion.* & sine Sumptibus non ulla Respublica consistere potest, opus ei Opibus est, sine quibus nil fiet quod opus: *Videatur Petr. Gregor. Tholozan. 3. d. Republic. cap. 1. à princ. Iac. Bornitius, in Ærario, lib. 1. cap. 1.* Pecuniâ Imperii fines defenduntur, Pauperes relevantur, benè meriti remunerantur; ut alia publica, eaq; necessaria Reipublicæ negotia, quæ sine Numis expediri nequeunt, omittam. Laudatur à Celso ICto, *in l. 79. ff. d. legat. 3.* sententia Rusticorum antiquorum, Pecuniam sine Peculio fragilem esse: Peculium adpellantes, quod præsidii caussâ seponeretur, eo ut necessitatis

A tem-

pore uterentur. Id si in Rusticis obtinet, quid ni idem de Imperantibus multò magis pronuntiari posset?

I. An Ærarium publicum habendum, vel num ab Imperantibus Thesauri sint colligendi? in utramque partem disputari potest. *Videatur Bodinus, 6. de Republ. cap. 2. num. 675. ad fin. & seq. Tholozan. 3. d. Republ. cap. ult. post Boterum libr. 7. del. ragione di Stato, Apollinar. de Calderini, discors. 6. Auctor. Anti-Machiavelli, libr. 3. theorem. 32. Barthol. Keckerman. disput. practic. 34. problem. 15.* Pro negativâ sententiâ, adferre licet auctoritatem Divinæ Legis, *Deuteronom. 17. v. 17.* ubi prohibetur, ne Rex multiplicet sibi argentum & aurum. Sic & Julianus Imperator, nunquàm pecuniæ augendæ cupidus fuit; quam cautiùs apud privatos servari existimabat. *Ammian. Marcellin. libr. 25. folio mihi 438.* Constantius quoque, amicis increpantibus, quòd Fiscum indiligentiùs curaret, respondit: Bonus Princeps qui magis à suis diligitur, quàm timetur; habet quicquid possident Cives, id quod & Cyrus ostendit Croeso, cùm precibus à Subditis magnam pecuniæ vim collegisset. *Xenoph. in Cyri pæd.* Ludovico XII. Galliæ Rege, laudi dat N. Froumenteau, 3. *du Secret de Finances fol. 410. & seq.* quòd multis implicitus Bellis, & tamen cùm de accumulandis Thesauris sollicitaretur, responderit: qu'il faloit que ses richesses & thresors fussent dans les bourses, & dans les maisons de ses suiets; & que le Prince ne sçauroit mieux thesauriser, & s'enrichir, qu'en enrichissant par bon traictement & soulagement ses suiets. *adde libr. 2. ejusdem tractatus, fol. 10. & seq.* Trajani Cæsaris apophthegmate, Fiscus Lien est; quòd eo crescente, reliqua Membra tabescunt, quodque

Fisco aucto arguitur civica pauperies.

ut canit Andr. Alciatus. *emblem. 146.* Et inde Belam Pannoniæ Regem, omnibus promiscuè Vectigalibus Populo levato, tributoque generatim provinciis remisso, effeciſſe & Nobilitatem

tem & plebem ditissimam; ut nec minimus quidem rusticus inventus fuerit egenus, laudat Bonfinius, *rer. Ungar. decad. 2. lib. 3.* Ærarium itidem propterea rejicit Thomas Morus, quòd invitari magis hostem, & attrahi Publicarum opum abundantiâ censet: quæ & olim opinatio fuit Ægypti Regum. *Herodot. libr. 3.*

2. Econtrà pro Ærario facit, quòd Lycurgus, qui suos Ærarium habere noluit, & idem amplificare finibus extentis Rempublicam eo ipso prohibuit: idque cum armis sumptis expeterent Lacones, Belli destituti expensis, mox Pecuniam mutuò sumere cogebantur; & porrò in extrema discrimina pervenerunt. *Aristot. 2. politic. cap. 7. in fin. Bodin. 6. de Republ. cap. 2. à princ.* Athenienses tempore Themistoclis, Ærario caruerunt; & ideò ad Belli sumptus comparandos, violento uti remedio Themistocles coactus fuit. *Plutarch. in vita. fol. mihi (edit. Gallic.) 222.* Quin & 1. *Regum, cap. 3. vers. 13.* Schelomohni Regi, divitias, omnium aliorum Principum opulentiores, vice cujusdam insignis Beneficii, promittit Jehova Deus.

3. Ego, in Republicâ ut dives semper Ærarium sit, operam dandam esse puto. Ita tamen, ut (1) omninò debeat esse proportio inter reditus Principis, & inter ejus curas; atque adeò, tam sufficientes reditus ejus esse velim, quàm variæ & multiplices sunt ejus expensæ. *Keckerman. pol. 1. cap. 21. à princ. fol. 328* Unde in Rebuspublicis quibusdam, Ærarium ut locuples admodum sit, haut necesse esse videtur. Sicque in Turciâ, ex solis Timariis, homines ad tercentum millia obstrictos sibi atque obligatos habet, Imperator; ut quoties ipsi libuerit, & quò terrarum eos ire jusserit, in Bellum propriis impensis proficiscantur. *Lazar. Soranzius, in Ottoman. capit. 47.* Quod & testatur Venetus quidam in Græcia Consul, qui ait: Nell' acquisto che fece gl' Ottomani del Stato suo, s'impatronirono non solo di tuto il diretto, ma in gran parte

ancora dell' utile de' Terreni, & questi distribuì poi à' Soldati in vita loro per stipendio. di modo, che senz' altra spesa del dinaro publico, mantiene quel Signore un numero cosi grande di Cavalli, che à pagarli con dinari, non bastariano quindici milioni d'oro l'anno, &c. *Thesoro polit. part. 1. fol. m. 116. &c.* Sic & olim Imperatoris & Principum potentia, in Vasallorum multitudine consistebat; indeque tam multa Feuda constituta fuerunt, adeò ut nil ferè sibi retinerent, hodiè cùm voluntario conductitioq; Milite bella gerantur, & Vasallorum Servitia variis limitationibus restringantur, rariùs nova Feuda dantur; Ærarioque, quod Stipendia suppeditet in casu necessitatis, locupletiori est opus. Vicissim cum Helvetii pulsâ Nobilitate, plenariam immunitatem promulgarent, suis quenque Stipendiis militare conveniebat. *Bodin. d. cap. 2. num. 660.* (2) Haud in unius aut paucorum arbitrio potestateque esse debet, non urgente necessitate Ærarium evacuare: quod quidem facilius in Mixtâ Reipublicæ formâ præcaveri potest. Sanè cùm Publicarum pecuniarum custodia, supra modum difficilis semper fuerit visa; Reges Persarum perinde ac Romani, ut à rapinâ profusioneque, Sanctius Ærarium vindicarent, aurum in graviorem laterculorum conflabant figuram. *Bodin. d. cap. 2. num. 675. Tholozan. 3. d. Rep. cap. 3.* Quo itidem medio, Caroli V. Gall. Reg. Financiarum Magister, Domini sui facilitatem in expendendo, coherceri posse putavit. *Bern. Girard. Seignr du Haillan. lib. 17. fol. 424. del' hist. de France.* At nec ejusmodi massarum pondus, neq; Ramsaneti lapideæ Turres, neque Sardanapali subterranei specus, Publicam illam Pecuniam tueri, nec etiam Templorum, Sepulchrorum vé Religio, neque profunda flumina eam poterunt occultare; si non rara & continuata Principum prudentia, aut Ordinum id faciat provida cura. Ridicula est congerendi sollicitudo, & non nisi in maximum Reipublicæ Civiumque singulorum damnum vergere potest, nisi sit qui servet importata: hocque esse perforatum

tum haurire dolium, rectè Xenophon. *in Oeconom.* ſcribit. Et ſic Cajus Caligula, immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris, vicies ac ſepties millies H. S. Sumptibus nepotinis omnium prodigorum ingenia ſuperans, non toto vertente anno abſumpſit; *Sueton. cap. 37.* quia potenti cuſtode carebat. Les Monarchies (verba ſunt Aurea Auctoris du Secret des Finances, *in Epiſt. dedicatoria ad Gall. & Polon. Regem.*) ſeront touſiours neceſſiteuſes, ſi la clef de leurs Finances n'eſt miſe & conſignee en une bonne & fidele main: c'eſt a dire, qu'elle ferme à ſi bon reſſort, que les crocheteurs n'y puiſſent crocheter s'il eſt poſſible. Car il y a des crochets de touts les qualibres; crochets tortus, crochets mignards, crochets prodigues, crochets ſubtils, crochets des femmes, & crochets affinez, &c. Huic malo Lege latâ mederi voluit in Gallia Franciſcus I. quâ cavit, ut Ærarii Sanctioris quatuor claves fabricarentur; quarum unam penes ſe Rex haberet, cæteras ii quos Ærario præfeciſſet. Subrogatum etiam fuit huic Legi, ne ex arca Numi, niſi præſente Ærarii Præfecto, & Scribâ moverentur: quo more ab Henrico 2. abrogato, omnes mox Ærarii opes, potentium & adulatorum direptionibus patuerunt. *Bodin. d. cap. 2. num. 674.*

II. Pecuniæ adpellatione non tantùm comprehendo Numos, aut etiam Aurum Argentum vé non ſignatum; ſed omnia quæ pecuniâ æſtimari poſſunt. *l. 4. l 5. l. 178. l. 222. d. verb. ſignif.* quæ vel neceſsitatis tempore citò vendi, aut cùm iis indigemus, numis non ſemper comparari poſſunt. Sicq; in Gallià olim, publica Nemora fuerunt, in quibus grandium excelſarumque arborum innumerabilis multitudo, ad omnes creſcebat opportunitates; quæ urgente Bello, ſi pe-

cunia AErario defuisset, cædebantur. *Bodin. 6. cap. 2. num. 675.* Sic Argentinæ, aliisq; similibus in locis, ubi Respublica benè est constituta, magna copia Annonæ, ad Belli famisque reconditur casus inopinatos.

III. AErarium propriè Populi, & Reipublicæ, Fiscus verò Principis esse censetur. Idque ex verbis Plinii ad Traianum facilè cognosci aiunt, cùm dicit: Non eádem severitate Fiscum, quâ AErarium cohibes. *Fr. Hotoman. in comment. verb. Iur.* Sic & nunc plerisque in locis, differentia est, **vnder den Cammer: vnd einer Landtschafft Gütter.**

In Popularibus & Optimatum Imperiis, nihil quod ad Civitatem pertineat, Privatum dici potest: in Monarchia verò, & agri Dominici à Publicis, & Fiscus ab Ærario Publico differt. *Bodin. d. cap. 2. num. 641.* Adde Clarissimum Belgii Jureconsultum Paul. Busium, 3. *d Rep. cap. 1. num. 3. & disp. polit. 11. th. 22. usque 26.* qui Ærarium & Fiscum, Juris auctores aliter accipere, quàm Latinos cæteros probat. Universitates verò & Collegia, Arcam aut Bursam communem, non Ærarium, vel Fiscum habere putantur. *vid. Christ. Colerum, parerg. cap. 28. M. Ant. Peregrin. d. Jure Fisci. 1. c. 1. & 2.*

2. Utrum in Monarchia absoluta, valeat ista Bonorum Regalium distinctio; ut alia dicantur Reipublicæ, alia privata Principis, disputat Keckermannus, *disp. pract. 34. problem. 7.* Certè non inepta videtur opinatio Tholosani, *lib. 3. d. Repub. cap. 2. num. 10.* qui tria facit genera Bonorum Principis. Primum Privatorum, quæ vel habet quæsita nomine proprio, vel relicta à Majoribus, alio nomine quàm Principatus. Secundum dicit eorum, quæ Principatui adnexa sunt vel incorporata; quæ & Reipublicæ Dos adpellitantur: quòd quasi Dota-

Dotalia ea accipiat in auguratione ſui Principatus, tanquàm per Deſponſationem ſibi cõjuncti. Vocantur etiã Domanium Reipublicæ, ſeu Coronæ. Tertium, quod ex his naſcitur, vel ex caſualibus percipitur reditibus, & in Theſaurum Fiſcalem defertur; ad communemq; Principis ac Reipublicæ negotiorum utilitatem, à Principe adminiſtratur. Et hæc non Gallicæ tantummodò, ſed pleriſque Politiis accommodari poſſe puto, ſecus ac cenſebat Keckermannus: qui in Principe abſoluto nihil privatum, nihil etiam publicum, quod non ejus Dominio ſit commiſſum, contra rationem & uſum agnoſcit. Sed tamen adhuc alia Bona publica, Reipublicæ nempè (nec Principis adminiſtrationi conceſſa) ubique ferè, etiam in Monarchiis inveniuntur: & Dominatum, non Regnum ſapit, aliter ſi fiat. Ita Auguſtus, Provincias partitus eſt Romanorum, in Prætorias, quæ Populo erant vectigales; & Præſidiales, quæ Cæſaris Fiſco certum æs penderent: quod tandem poſteri Imperatores Græcorum, Dominatum affectantes, immutârunt, Fiſcumque & Ærarium confuderunt. *l. benè à Zenone. C. de quadr. præſcript.*

IV. AErarium, diverſi uſus, & ordinis etiam ratione, non unum eſſe decet. In Gazophylacium ſeu Aerarium Sacrum; **Kirchenkaſt** / Aerarium Civile, **Rentkammer** / Aerarium Militare, Aerarium privatum ſeu Fiſcum Principis, & Sanctius Aerarium, ſeu Theſauros Reipublicæ & Principis; ſeiungit Bornitius, *de Ærar. lib.* 10. *per tot.* Et quoque triplex aliquando fuiſſe Romæ Aerarium conſtat. Vnum in quo Civium tributa, vectigalia Sociorum, & præda Imperatorum aſſervabantur; ad Bellorum ſumptus ordinarios ſuſtentandos. Alterum Sanctius Aerarium adpellatum

latum; in quo Aurum vicesimarum custodiebatur, ad ultimos Reipublicæ casus. Et tertium, quo pecunia Gallici Belli caussâ continebatur: quam Gallico Bello contulit Populus, cum execrationibus eam inde non amovendam, nisi Bellum Gallicum impenderet. *Tholozan. 3. d. Rep. cap. 3. num. 4. & seq.*

V. Fons & scaturigo Aerarii perennis, & quoque antiquissima, honesta, legitima, tutissimaq; Imperantibus Pecuniæ inveniendæ ratio ea est, quam prisci Legumlatores, Rerumq; publicarum docuêre fundatores: dum ii non solùm Vicos, Templa, & Theatra voluerunt esse Publica; sed & insuper Agros, Nemora, aliasque Possessiones (ut quasi Reipublicæ quoddam patrimonium essent) selegerunt; hæcque ad certum tempus, vel in perpetuum Civibus locitanda mercede, publicis necessitatibus destinabant. *Bodin. 6. de Rep. cap. 2. num. 638. Tholosan. 3. d. Rep. 2. à princ. Guidon General des Finances, part. 1. à pr. Bornit. in Ærar. 1. cap. 3. & attigi, disputat. polit. 3. θ. 35. class. 1.* Ita Romulus agrum Romanum in tres æquas parteis divisit; quarum unam Sacris faciundis, secundàm Reipublicæ oneribus subeundis, tertiam Civibus assignavit. *Dionys. Halicarnass. libr. 2.* Erant & Principibus Lacedæmoniorum assignata prædia à Republica, pro Patrimonio: ac cùm militabant, exercitus à Civitate nutriebantur. *Xenoph. d. Republ. Lacedæm.* Hincque descendere videtur origo **der Landtgarben/ Theilbaren Güter/ Bodenzins/ &c.**

Sic

Sic Ægyptios perpetuarios Colonos, utque quintam fructuum partem Regi darent, effecit Josephus: *Genes. 47. vers. 23. &c.* quod Vectigal, usque ad nunc inces∫abile vocat Osorius, *1. hist. cap. 8.* Ipse quoque Jechezchel, in Civitate quam describit, tales Principibus voluit esse agros; quibus contenti vivant, nec ultrà opprimant Populum DEI, omnesque exactiones tollant de super Populo ejus. *cap. 45. vers. 8. & seq.*

2. Bona ex quibus olim apud Romanos talis collatio fiebat, vocabantur prædia tributaria, stipendiaria, vectigalia, prædia civilia, fiscalia, fundi emphyteutici, saltuenses. *t. titt. C. d. locat. præd. Civil. libr. 11. C. d. fund. patrim. Cod. d. collat. fund. patrim. Cujac. 7. observ. 3. & 4.* Sic ager Campanus, ad subsidia Reip. quondam relictus fuit; quem Cæsar divisit inter Cives, ut eorum benevolentiam captaret. *Sueton. cap. 20.* Ex prædiis Vectigalibus Decimæ sumebantur; ex Pascuis quod percipiebatur, Scripturam nominabant. Hûc pertinet Canon frumentarius, *de quo in tit. C. d. canon. frument. Urb. Rom.* Solarium, seu tributum pro eo quod in solo Publico à privato ædificatum esset. *l. 1. §. si quis nemine. ff. ne quid in loco public.* Hûc & compendium spectat, quod in Mercatibus pro loco & sede Publica datur; **Standtgelt** vulgò vocatur. Sic quoque ædificia alicubi extructa reperiuntur à Magistratibus, usibus & opportunitatibus negotiorum privatorum inservientia. *de quibus videatur Bornitius d. Aerar. 1. c. 6.*

VI. Non autem ex Publicis solummodo fundis, Princeps sive Respublica, Aerarii conficiendi ius habet; sed quoque qui Præfecti sunt Legum custodes, & Politici Status, totique in hoc incumbunt, Iure exinde victum petunt, & quæcunque alia necessaria sunt, ad tam difficilis muneris administrationem. Ius est Re-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [15] - 9

gis, inquit, Stapletonus *in Promptuario morali*, *Domin. 22. post Pentecost. fol. 583.* ut à Regno alatur, & quidem pompâ Regali; tum ut ei Regnum subministret omnia quæ necessaria fuerint, & ad Bella gerenda, & ad Pacem conservandam. Hæc à Populo Regi subsidia debentur, & necessariò à Populo fideli solvuntur. cui consentit Dn. Polycarpus **Leyser / im Regenten Spiegel / in der Predigt am Anfang deß Landtags**, *fol. mihi 228. &c.* Quicquid boni homo civisque in Republica habet, & possidet; quòd vivit, quòd liberè vivit, quòd benè, quòd beatè, omniumque rerum & bonorum usu, & interdum etiam copiâ ad voluptatem utitur, fruitur, totum hoc beneficium, Reipublicæ, civilique ordini acceptum est referendum: illa facit ut homo sociatus in Civili societate civiliter vivat, suisque gaudeat bonis. Quâ de causâ non tantùm necessarium, verùm etiam æquissimum reputatur; ut aliquid ex lucro & compendio bonorum illorum, conferat in commune. Propterea, quòd & homo, & res singulorum in Republicâ conservari nequeant, nisi conservetur Res publica sive communis: adeoque singuli sui causâ impendere videntur, quicquid conferunt in publicum usum. *Novell. 8. cap. 10. §. 2. Bornitius, h. lib. 5. cap. 1.* Hinc Tributorũ ordinaria collatio descendit (**Steur / Schos**) quæ Imperantes, in subsidium sumptuum atque laborum, & pro Regimine generali exigunt quotannis. *argum. Matth. 17. vers. 24. &c. & cap. 22. v. 17. Marc.*

Marc. 12. v. 16. Lucæ 20. v. 25. Roman. 13. v. 6. ubi Em. Tremellius. & dixi disput. polit. 3. th. 36. class. 1. Indeque Censum & Tributum solvere denegantem in Principis contemptum, incidere, aiunt, in crimen læsæ Majestatis. *Gigas d. crim. Majest. quæst. 36. n. 2.*

Tributum ideo vocabatur apud Romanos, quòd à Tribubus tributim hæc pecunia, seu à singulis ex Populo, pro æstimatione Patrimonii imperaretur: & Attributum; quòd cuique certa pecunia præstanda assignaretur, ut ait Varro. vel à tribuendo, quòd ex privatò in Publicum tribueretur: vel quòd Militibus tribuebatur. *l. ager. 27. d. verb. signif. ubi Gæddæ. in commentar.* Sicque Comnenus Imperator Orientis, *lib. 1. Juris Oriental. tit. Isaac. Comn.* constituit ordinarium Tributum, pro Vico triginta fumibula habente, aureum unum, argenteos duos, arietem unum, hordei modios sex, vini mensuras sex, farinæ modios sex, gallinas triginta. Pro Vico, qui 12. haberet fumibula, aurei bessem, argenteum, agnum dimidiatum, hordei modios quatuor, vini mensuras quatuor, gallinas viginti. Pro Vico 10. fumibulorum, argenteos quinque, agnum unum, hordei modios duos, gallinas decem.

VII. Censentur item Fructus Iurisdictionis, & Reipublicæ inservientes proventus; Pœnarum, Multarumque compendia; **Brüch / Frevell / Buossen:** & si quæ alia in cap. unic. quæ sint Regal. in Visib. Feudor. enumerantur. Quæ ex parte & ego recensui; *disp. pol. 3. th. 38. &c. class. 1.*

Reditus hi incidentes nominantur, quòd fortuitò & casu accedunt Fisco: & hîc ferè unaquæque Respublica, sua singularia habet, nec ab omnibus omnia probantur & adsumunmuntur. *Bornitius h. libr. 3. cap. 1.* Ut & generatim, alia alibi

Ærarii & Domanii ratio existit. In Turcia, Ærarium ex Donariis ferè constat; quæ ab aliis Principibus, potissimùm Christianis, tum & à suis Subditis atque Servis Imperatori conferuntur: nemini enim vacuis quod dicitur manibus, in ipsius conspectum venire coceditur. Magnificentiæ id tribuunt, quod immensam secum trahit utilitatem. *Lazar. Soranzius, cap. 47. Achill. Traduccius, in Turcâ Vincibili, fol. 238. & seq.* Cava il Signore cento sessanta mila scudi di tributi, & pensioni di diversi Prencipi, ait auctor Thesauri politici, *part. 1. relatione di Constantinpol. fol. m. 122.* eaque dona ex alto ac sublimi loco, omnibus spectantibus explicari jubet, quasi Tributa subditorum. *Bodin. 6. d. Rep. cap. 2. num. 645.* In Turcia itidem qui habitant Christiani, vel Judæi, omnes Tributa solvunt; è contrà Lege Mahumetanâ est cautum, ne à Musulmanis ullum Tributum exigatur. *Pierre Bellon, libr. 3. sui Itinerarii. cap. 28. Traduccius. fol. m. 239.*

2. Sic & Ærarium Romanum, ex hostium spoliis, & devictorum constabat Tributis. Tametsi enim Militibus, hostium Urbes vi captas diripere fas erat; Publicæ tamen Pecuniæ in Ærarium inferebantur. at cùm Urbes dederentur, aut pactione sponsionéve factâ, pecunia promitteretur, nil præter stipendium referebat Miles: nisi tanta Pecuniæ vis esset, ut stipendium propter egregiam militum virtutem duplicandum videretur. *Bodin. 6. d. Repub. cap. 2. num. 643. Arnisæ. 2. politic. cap. 5. fol. 564. &c.* Romani item, victis Populis & agri parte multatis, Colonias egentium ac tenuium Civium mittere consueverunt, & eam agri partem illis assignare: ex quo incredibilis tum utilitas, tum gloria, Imperio, nominique Romano accedebat. quod latè exequitur Bodinus *d. cap. 2. num. 644.* ita ut nullâ extraordinariâ collatione fuerit opus, usque ad Bellum Civile. *vid. Plutarch. in Aemyl. num. 19.* tunc etiam Cæsar, Thesauros à nemine ad illum diem tactos Militibus rapere concessit. Unde Lucanus *lib. 3.*

Tunc

——— *Tunc conditus imo*
Eruitur Templo multis non tactus ab annis
Romani census Populi, quem Punica Bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi:
Quod tibi Roma fugâ Pyrrhus trepidante reliquit, &c.

2. De Domanio mutabili & immutabili Regni Gallicani, multis agit Tholosan. 3. *cap. 2. num. 13. usque ad fin.* & adhuc latius le Guidon general de Finances; quem tractatum legisse haud pœnitebit.

CAPUT II.

CIrca Aerarium triplex inspectio occurrit: quomodo nempè reditus Principatui destinati, sint conservandi; quomodo augendi, necessitatisque tempore alii conficiendi; & demum, per quos Aerarium siet administrandum.

I. REDITUUM ÆRARII Q; CONSERVANDI præcipuus modus, in benè, parcéq; collocandi consistit ratione. Parsimonia quippè opes auget: *Proverb. 3. v. 17.* magnumque, ut proverbium habet, est vectigal. Oraculi ergò heîc loco sit illud Poëtæ:

Si rectè frueris, non est ut copia major
Ab Jove donari possit tibi. ——

Rectè Mæcenas Augusto: Divitiæ magnæ, nõ tam multa accipiendo, quàm non multos sumptus faciendo colliguntur. *Dion. lib. 52.* Expeditissima augendi census ratio est, detrahere sumptibus, & inhibere largitiones. Digna omninò est quæ hûc transferatur, Philosophi veteris anonymi monitio, ad Theodosium Augustum

eiusque filios, de inhibendâ largitate; relata à Clariss. Marq. Frehero, *tr. d. re numar. ad fin. lib. 1. fol. 25.* ubi inter cætera ita ait: Si largitio immoderata servanda profuderit, opum defectibilitas nullo vetustatis more poterit iam necessitatibus subvenire. Quamobrem Patrum nobis est paulisper providentia referenda, quàm in rebus egenis habuerint, vel quæ nunc in tanta facultatum licentia videatur. Afflicta Paupertas, in varios scelerum conatus accensa, nullam reverentiam Iuris aut pietatis affectum præ oculis habens, vindictam suam malis artibus commendavit. Erit igitur curæ Prudentiæ tuæ, Optime Imperator, repressâ largitate, & Collatori prospicere, & in posterum Nominis tui gloriam propagare, &c.

1. Omnium administrationis domesticæ generum commune est, ut inprimis consideretur, ne impendia fructibus sint majora. *Aristot. lib. 2. Oeconom. à princ.* Eo, itaque, quod ait Johan. Mariana, 3. *d. Inst. Reg. cap. 7.* Principis curæ referantur, ut supervacaneis sumptibus detractis, modus vectigalibus sit. Et quod frugales homines præcipere solent, in procurandâ re familiari, cogitare diligenter; ut expensæ publicæ, si non minores, certè Regio censu majores non sint: unde cogatur versuram facere, auctoque indies fœnore, effundere Imperii opes. Magna & prima cura esse debet, ut sumptus singuli, facultati, & copiæ sint exæquati; ratio Vectigalium, & erogandi necessitas inter se congruant: ne si modum excedant, Respublica majoribus malis implicetur. Si majores multò Vectigalibus Regii sumptus diu erunt, haut dubia pestis consequetur; nova indies tributa imperandi necessitate, aures Provincialium obsurdescent, animique exacerbabuntur.

2. Hîc

2. Hîc peccant plerunque Principes ignoratione reditu-um, tabularumque accepti & expensi: cui incommodo ingenioso invento medicinam adhibere conatus est Illustrissimus Belgii Heros, Mauritius Auraici Princeps; qui tractatu singulari, Aulicam Oeconomiam ad rationem negotiationis docuit accommodare. Il n'y a chose à laquelle le Monarque puisse occuper sa cogitation plus proprement, qu'en la dispensation des ses Finances: & n'y a speculation qui puisse servir aux grands de plus spatieuse campagne pour s'esbatre, pour l'entretenir leur pensées, pour se retirer hors de soi, & puis pour se r'avoir, que l'universitè de leurs deniers. non pas mettre leur coeur à l'avarice, car cela est du tout indigne à un Prince magnamine; mais pour disposer son esprit à une juste dispensation de son revenu: ut eleganter scribit Auctor du Secret des Finances, *in Epist. dedicat. ad Fr. & Pol. Regem.*

3. Considerandum ex sumptibus qui impenduntur, quàm multi sublati nihil detrimentum adferant Reipublicæ, auctoritatique Principali. Hîc verè seponenda est cumprimis affectatio externæ Reputationis, magnitudinem destruens internam. Et sic Alexander Severus, Urbem & Provincias & Aulam suam, purgavit hominibus non necessariis. Malum pupillum esse dicens Imperatorem, qui ex visceribus Provincialium, homines non necessarios, nec Reipublicæ utiles aleret. *Lamprid. in ejus vita.* Ideo Salaria, quæ otiosos vel inutiles accipere videmus, sunt subtrahenda. Nil quippè sordidiùs, imò crudeliùs est, quàm si Rempublicam ii arrodant, qui nil in eam, suo labore contulerunt: quod olim dixit Antoninus Pius Imperator; *teste Capitolin. fol. m.* 147. Non quidem parsimonia publica in eo versatur, ut servi domestici Regibus eripiantur; quod sine Majestatis ipsius contemptu fieri non potest: ea res enim Peregrinos ad Principem aspernandum, & Subditos ad deficiendum excitare consuevit. quod olim Ludovico XI. Francorum Regi legimus contigisse: qui cum è familia & famulatu

milia & famulatu Patricios ac Nobiles exegisset, sartore pro Feciali, tonsore pro Legato, Medico pro Cancellario utebatur: & is etiam ut aliorum Principum magnificentiam proculcaret, cultu ac vestitu sordidissimo utebatur; pileo præpingui, imagunculis & cochleis squallenti, veste laneâ vilissimi pretii ac tetrici coloris. *Bodin. 6. cap. 2. n. 677.* Sed tamen Officiariorum innumerabilis multitudo, sumptuum & luxus profusa magnitudo, quæ ubique ferè excrescit in infinitum, ad modum est revocanda, & quâdam ex parte circumcidenda. Debet quidem Princeps omnia ad splendorem Imperii referre, neque infamiam subire tenacis aut parci: sed tamen convenit diligentiam Judicium que adhibere, & pompam semper modulo metiri Provinciæ, subditorumque paupertate. Provideat omninò Princeps, ne otiosi homines & inania Officiorum nomina, Metatorũ, Historicorum, Regiorum Sacerdotum, Consiliariorum extraordinariorum, annuis salariis Rempublicam ludibrio prædæque habeant, nullo præterea proventu. *Mariana, 3. cap. 7.* De Burgundia scribit auctor du Secret des Finances; que le revenu ancien des Ducs de Bourgogne neseroit bastant pour payer la moitiè des gages des officiers qui y sont de present. *in epist. dedic.* & idem *libr. 2. fol. 45.* asseverat: qu'il aimeroit trop mieux les gages de tous les officiers nouvellement creés en le Royaume de France; que tout le revenu ordinaire & extraordinaire de la couronne, durant les temps du bon Roy Louis 12. Et cui ergò admirandum videretur, quod ibi æs alienum, exactioneque pauperum Subditorum in immensum succreverunt.

4. Sunt porrò luxus circumcidendi in Principis Aulâ, multiplexque pecunias effundendi, inutilis equorum, canum & similium apparatus; abstinendum à Peregrinationibus longinquis, in quæ pecuniæ multæ insumuntur pro commeatu: temerè non suscipiantur Bella, quæ non solùm Ærariorum, sed etiam Subditorum omnium facultates brevi tempore exhau-

haurire possunt. omittantur Ædificationes & opera, quæ potius habent aliquam vanitatis ostentationem, quàm utilitatem aut commoditatem Reipublicæ adferant. In omnibus frugalitas & parsimonia, atque regula rationis conservetur. Et semper ante oculos ejus qui præest versetur; non convenire supra vires redituum ordinariorum facere sumptus: & ut privatim quemque, sic & Principem suo pede se metiri oportere. quæ verbatim scribit Gregorius Tholozanus, 3, *d. Republ. 8. ad fin.* Non expleat hiantes adulatorum cupiditates. Non per delitias aut sumptus pecuniæ illudat: ita Bonis Publicis utatur, ut cum Nehemia verè dicere possit, *cap. 5.* Ego & Fratres mei annonas seu proventus quæ Ducibus debebantur, non comedimus. Duces illi primi, qui fuerunt ante me, gravaverunt Populum; Ego autem non feci ita, propter timorem Domini Dei. Notet duo præclara apophthegmata Cardinalis Petri Aldobrandini: Quòd Mensæ magnificentia, non Luxuriæ apparatu, sed Temperantiâ sit definienda: magisque laudanda sint Masinissæ Regis, quàm Cleopatræ ultimæ Ægypti Reginæ, mensarum ornamenta. Et quòd in excipiendis amicis, non sumptus debeat spectari, sed decus. *Henr. Farnesius, in apophth. Aldobrand. tit.* 11 *num. 6. & seq.* Non summam putet Fortunam in luxu, ut faciunt Reges pueri, juvenesque ignari; & qui eosdem hâc persuasione corrumpere solent. *vid. Notas Jan. Gruteri in Florileg. part. 1. fol. 643.* C'est un espece de pusillanimitè, aux Monarques, & un tesmoignage de ne sentir point assez ce quils sont, de travailler à se faire valoir & paroistre par depenses excessives. *Mich. d. Montagne, 3. des essais. cap. 6. fol. mihi* 911. Intelligant omnes Principes illud, quod olim Ludovicus XII. Galliæ Rex, solitus fuit pronuntiare; Sapienti Regi, satiùs esse nihil debere, quàm multa largiri. *Paul. Jovius, in Elogiis.* Cavere debent Principes; nedum liberales esse volunt, de bonis Reipublicæ largientes, ambitionis notentur; & acta eorum à Successoribus revocentur. *P. Gregor. 3.*

de Rep. 8. num. 12. Quin & in Juvene Principe nimia liberalitas, magis quàm avaritia est vituperanda. Unde Fridericus 3. Imp. cùm filio Maxæmiliano strenæ loco misisset patinam plenam pomorum pulcherrimorum, additis aureis Rhenensibus XX, & filium pecuniam inter commilitones abjecisse, poma custodienda tradidisse, resciviſſet: ita dixit; satis scio, **Er würdt ein Strauwgütlin werden.** *ex Pezelio Melander Jocoser. libr. 1. numer. 238.* Quod non vanum augurium fuit: Maxæmiliani enim conatus omnes, pecuniæ defectus impedivit. Les Gouverneurs de l'enfance des Princes, qui se picquent à leur imprimer ceste vertu de largesse, & les preschent de ne sçavoir rien refuser; ou ils regardent plus à leur proufit, qu'à celuy de leur Maistre, ou ils entendent mal à qui ils parlent. Il est trop aisè d'imprimer la Liberalite en celuy, qui à de quoy y fournir autant qu'il veut, aux despens d'autruy. *Mich. de Montagn. d. c. 6. f. m. 912.* satiùs est Principem scire jus suum cuiq; tribuere, cuiq; relinquere quod suum; quàm de publico dare liberali manu.

5. Itidem non minoris est Magnificentiæ manus continere, quàm multa ædificare. Nec enim laudari quamvis honestè susceptа possunt opera, si, quæ in ea pecuniæ conferantur, per rapinas & Civium injurias comparentur. Quapropter meritò reprehensus fuit Robertus Rex Neapolitanus, quòd cum magnificam Neapoli domum ædificasset; ad cędendam comportandamque è Lucaniâ materiam, avarè & impotenter Civibus subditisque suis usus fuisset. *Jovian. Pontan. d. magnificent. cap. 7.* Contrà verò glorioſissima est prædicatio Friderici Daniæ Regis; qui cùm splendidissimam Regiam Kroneburgum, incredibili sumptu ædificasset, dicere solitus est: Nolle se eum lapidem in ædificio suo tolerare, si quem subditorum suorum numo comparatum esse scirent. *Herman. Kirchner, disput. d. Rep. 16. θ. 2. lit. c. adfin.* Splendidæ superbæque ædificationes eum tantùm Principem decent, cui tantæ sunt opes; ut partâ pace, ac præmiis stipendiisque omnibus, quæ cuique

justè

juſtè debeantur, diſtributis, ea opera moliatur. Sed qui vectigalium ac tributorum multitudine Plebem opprimit, ut inanium ædificiorum ſubſtructionibus gloriam conquirat; is profectò ſuæ Tyrannidis indelebiles notas ac teſtimonia poſteritati ſempiterna relinquit, ſe Civium ſanguine ſua cæmenta madefeciſſe. Domus aurea Neronis, Urbem ferè ambitu complectebatur: at paulo momento eſt collapſa; quippè quæ innocentium Civium ſanguine extructa erat. *Bodin. 6. cap. 2. num. 671. & ſeq.* Inſuper Ædificia Publica, à Principe cautè ſunt extruenda; ne ſcilicet error in iis commiſſus, atque omnium hominum oculis expoſitus, præter odium ſubditorum, contemptum ei pariat, prudentiæque diminuat famam apud omnes. Sic non magnificentia laudabilis, ſed inſana fuit profuſio Regum Ægyptiorum; qui Subditos ſuos perpetuò gravârunt extruendis informibus Pyramidum molibus. *Vinc. Caſtellan. d. offic. Reg. lib. 3. part. 2. cap. 14.* in quarum unius fabricam, pro quotidiano ſolummodo operarum obſoio, decem millia & quingenta talentorum, in Regiis computationum rationibus expenſa: indeque ἀπὸ τῶν πυρῶν, id eſt, à tritico (quòniam propter operarum ad id coactarum infinitam penè multitudinem, univerſum Ægypti triticum eò loci devehebatur) ita adpellatas fuiſſe, notat Nicol. Leonicus Thomæus, *d. var. hiſtor. lib. 3. cap. 83.*

6. Sed ne præceptis ſaltem, decretiſque Philoſophicis pugnare videamur; exempla aliquot Regum frugalium proponemus: inter quos ſanè agmen ducere videtur, Henricus Magnus Galliæ Rex, antè paucos annos deteſtabili dolo interfectus. Tempore namquè Henrici 3. millies centum millibus ſcutatorum æris alieni, Regnum obrutum erat: *Pierre Matthieu, 1. derniers troubl. fol. mihi 10.* Et tamen Parſimoniâ, frugalitateque ſuâ effecit Henricus 4. ut adhûc magnum Filio reliquerit Theſaurum. hocque illi maxumè laudi dat Petrus Matheus, quod Aulæ Menſaque Regiæ diminuerit expenſas.

C'est le premier Roy qui a reformè la dissolution des grandes tables; lequelles so'ubs le Regne de ses predecesseurs, sembloient celles, qu' on dresse aux plus sumptueux sacrifices de Dieux: plusieurs estimans, non pouvoir faire paroistre la grandeur de leurs revenus, que par ces excessives despenses. *histoir de Henric. 4. libr. 3. narr. 4. fol. 628.* Carolus itidem ejus nominis V. Franco-Galliæ Rex, amplius quinquies millies HS in Ærario reliquit; qui tamen afflictas Regni opes, & Ærarium vacuum offendit; & quoque is idem Reipublicæ debita exolvit, prædia publica redemit, Bella maxuma gessit, Castiliæ ac Scotiæ Reges Imperio spoliatos, suis opibus restituit, nec plusquam Annos XVII. imperavit. quo nomine adhuc alios Galliæ Reges, Bodinus, *d. cap. 2. num. 677.* præclarè commendat. Ita ut de divitiis sufficientibus acquirendis, nunquàm desperare debeat Princeps; qui modò sumptuum diligentiam facere velit, & Parsimoniam rusticam & incultam rem esse sibi non persuaderi sinat. Aliter qui faciunt, ii cum Pompâ & tripudio perire gestiunt quod olim dixit ad Carolum VII. Galliæ Regem, strenuus militiæ Dux Hira, cùm Anglis in Gallià feliciter Bellum gerentibus, is ab exercitu ut Regem de toto rerum statu edoceret, ablegatus esset; & nihilominus eum Gynecæi, saltationum, conviviorum, aliisque ejusmodi deliciis, totum tum occupatum reperisset. *Gaspar. Ens, Epidorp. lib. 1. fol. 13.* Hûeque quadrat quod referunt de Henrico Glareano; qui rogatus ab amico, quomodo viveret ac valeret: Ego, inquit, Principum ac Magnatum vitam vivo. Altero quærente qualisnám esset? Ego, ait, bibo & genio indulgeo, interim in omnium ære sum & maneo. *Gasp. Ens, Epidorp. 2. f. 238.*

II. AErarium ambitione & largitionibus exhaustum, per scelera suppletur plerunque: & omnis Princeps prodigus, vel exactor est, vel erit. Familiare enim Principibus est, ut egentes, ad sublevandam inopiam, iniu-

iniusta excogitent tributa, & manus alienis iniiciant rebus : *Vincent Castellan. d. Offic. Reg. libr. 3. cap. 10. pagin.* 400. & qui multa profundit, necesse est ut ferè Populi sanguinem exsugat. *Iohan. Calvinus. ad cap. 11. Daniel. num.* 20. Sicque C. Caligula, cui persuasum erat; aut Frugi hominem, aut Cæsarem esse oportere: tandem exhaustus atque egens, ad rapinas animum convertit, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum, vectigaliumque genere. *Sueton. in vita, cap. 37. & seqq.* Sic itidem Nero, divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat, quàm profusionem; & nec largiendi, nec absumendi modum tenens: tandem nulli officium delegavit, ut non adjiceret; Scis quid mihi opus sit, & hoc agamus, ne quis quicquàm habeat. *Sueton. cap.* 30. & 32.

Sic & de Roberto, Nortmanniæ Duce, Guilhelmi Conquestoris filio, scribit Bernhardus de Girard, *lib. 7. fol.* 584. *de l' histoir. de France.* Le revenu ne suffisoit à la prodigue despense qu'il faisoit. Pour à la quelle satisfaire, il imposoit grandes tailles sur le Peuple: coustume ordinaire des Princes prodigues; lequels pour soustenir leur prodigalitè, sont contraincts d'exiger & fouller leur Peuple. Prodigi etiam Principes, vivi volunt esse heredes sui, & Reipublicæ, Subditorumque: & mentem Heliogabali habent; cui adhuc privato, cùm quidam luxum illius admirans diceret: Non times, ne fias pauper? Quid, inquit, melius; quàm ut ipse mihi heres sim, & uxori meæ? *Lampridius in vit.* Quas tamen impias cogitationes, in mentem venire Principis Christiani, nunquàm est præsumendum.

III. Vicissim verò Liberalitas, præsertim erga benemeritos inopesque, semper Principi est exercenda: *Apoll. de Calderini, discorso 7. & 8.* eoque nomine Franciscum I. Galliæ Regem meritò commendat Bodinus; *6. d. Rep. cap. 2.* quòd & personarum quibus donaret delectum habere, & largitionibus modum imponere didicisset. Imitandus est Imperator M. Antoninus Philosophus; Qui in largitionibus Pecuniæ publicæ, parcissimus fuit: sed tamen & Bonis Viris pecunias dedit, & Oppidis labentibus auxilium tulit, & tributa vel vectigalia, ubi necessitas cogebat remisit. *Capitolin.* Meritò culpabatur à Patre, filius Dionysii Siracusani; quòd nesciverat largitionibus sibi facere amicum. *Plutarch. in apophth.* Ex contrario, impium iuxtà ac pernicioſum consilium fuit Guisianorum: qui Aerarium Bellis superioribus exhaustum, quò suppleretur; Francisco 2. auctores fuerunt, ut patibulo erecto, proponeret Edictum: Vt omnes cuiuscunque conditionis essent, qui, quávecunque de caussâ; vel debiti, vel remunerationis, aut beneficii à Rege impetandi, in comitatu essent, intra 24. horas excederent Aulâ. *Thuan. lib. 23. fol. 473. col. 1.* Ridicula etiam fuit avaritia Persei, Macedoniæ Regis; qui à Romanis Bello petitus, media ad sui conservationem obvia, ne pecuniam expendere cogeretur, repudiavit: & ita semet perdidit, hostem locupletavit parsimoniâ suâ. *Plutarch. in Paul. Æmyl. num. 7.*

Quia

Quia homo homini est natus, ambigo num is qui alteri non prodest, vitam hominis agat. Idipsum visus est non solùm haut dubitare; sed & pro comperto habere Vespasianus: Nam in cœnâ aliquando recordatus, quòd eo die nemini benefeciſſet; ingemiscens dixit, se de vita diem perdidisse. Nihil in virtute gloriam magis, quàm Liberalitas Principis attingit.

—— Namque & titulis & Fascibus olim
Major habebatur donandi gloria. ——

Quod communi Proverbio ferunt; Liberalitatem minùs accipienti, quàm largienti fructuosam esse: hoc inprimis de Principe benigno dici potest; cujus dona aliud nihil sunt, nisi velut quædam vincula servitutis. Sed accersenda ars quædam Pecuniæ erogandæ: est quippè Liberalitas Prudentiæ consors, & socia Religionis. *vid. Henr. Farnes. in apophth. Card. P. Aldobrand. tit. 10.* Falluntur quibus Luxuria specie Liberalitatis imponit: perdere multi sciunt, donare nesciunt. *Tacit. tit. 1. hist.* De Alexandro Severo, Lampridius scribit: Dies nunquàm transiit, quin aliquid mansuetum, civile, pium faceret; sed ita ut Ærarium non everteret. Beneficentiam Principis Publicam esse volo, & cum utilitate Subditorum, Regnique conjunctam: talis etenim si fiet, longè efficaciùs Subditorum animos in ejus pertrahet amorem; quàm ullus Magnes attrahit ferrum. Contrà verò, si ea quæ in Publico liberaliter facienda erant, negligat, & in suos Aulicos aut alios domesticos magis, quàm Publicos homines beneficia profundat; publicè censebitur pro avaro, & apud Subditos tum sibi odium, tum contemptum parabit. *Barthol. Keckerm. polit. 1. cap. 3. fol. 90.* Itidem quoniam Musæ, quæ honesta, non quæ sunt quæstuosa sequuntur; indeque ferè qui Musis sunt addicti, inanes & ab opulentiâ nudi cernantur: Quocirca (ut dicere consuevit Cardinalis Aldobrandinus, *referente Farnesio, in apophth. d. tit. 10. nu. 11.*) Principum Liberalitate Musæ sunt depascendæ; aliique in

in artibus & scientiis omnifariis excellentes. *pulchrè Apoll. de Calderini, discorso 10. & seq.* Inprimis, ut rectè monet Keckermannus, *1. polit. cap. 3. fol. 91.* beneficentiam publicam exercere debet Princeps, in duo hominum genera; nempè in viros egregiè doctos, & excellentes artifices, deindè in Milites eos, qui insigni aliquo facinore de Republicâ præclarè meruerunt. Si enim Sapientum & fortium virorum animos sibi habeat addictos; facilè alios vel habere, vel negligere potest.

2. Sanè Magnates, animæ, rebusque suis malè consulere videntur, qui in Pompas, & homines indignos prodigè sunt liberales; interim benemeritos præmio, pauperes Subditos victu amictuque carere patiuntur. Religionis ac Sapientiæ Principes illi, veteres Hebræi; Divitiarum munimentum omnium maxumum ac firmissimum esse reputaverunt, Eleemosynam, ac benignitatem adversus egentes. Ac mihi quidem res humanas propiùs intuenti, nullæ familiæ, nulli Principes, nulla Imperia, opibus ac victoriis tam floruisse videntur; quàm quæ maxumam egentium ac tenuium curam habuerunt. Sanctus Ludovicus Galliæ Rex, octo & viginti rerum Divinarum & Humanarum Collegia, suis opibus fundavit: tametsi centum ac viginti Pauperes qui eum consequebantur, humanissimè, & eodem victu quo se ipsum, quotidiè sustentaret. Itaque mirum videri non debet, si annos quatuor & quadraginta, summâ cum sui nominis gloriâ imperârit; ut hostibus quidem formidolosus, charus amicis, Deus Subditis, Sanctus omnibus haberetur. Nec omittendus est Jacobus V. Rex Scotorum, is qui Rex egentium cognominatur: qui cùm omnes sui temporis Principes vinceret benignitate; majores tamen suos opum magnitudine longè superavit. Illustres verò familias, Imperia, Civitates cum Principibus, in exitium ruere, aut gravissimis calamitatibus & egestate conflictari videmus; quæ tenuium bona diripuerunt, aut quasi prædam Militibus, ac latrociniis Publicanorum objecerunt. *Bodin. d. cap. 2. num. 668.*

num. 668. & seq. At incredulitas seculi nostri in causſa esſe videtur; quò minus Deo, ejusque promissis fidem habeamus: hâq; ratione Divinam benedictionem nobis conciliemus. vel cum Tiberio 3. dicamus: Confido in Domino, nec deerit Pecunia Fisco, modò Pauperes eleemosynas accipiant, & captivi redimantur. Hi enim sunt Thesauri illi, nullis periculis obnoxii, quos ipse Dominus, *Matth. 6.* colligere jubet. *Sim. Goulard. in apophth. sacris. t. d. Eleemos. fol. 163.*

IV. Non autem minuendi solummodò sunt sumptus: sed & nihil unquàm de Domanio, ordinariisque reditibus est alienandum. *Rol. à Valle, consil. 1. num. 100. fol. 13. vol. 1.* Et hoc si fiat, flagitium Dominationis esſe pronuntiat Clapmarius. 5. *d. arcan. cap.* 12. Vnde non iniuriâ Maxæmilianum I. de Carolo IV. dixisſe ferunt: fuisſe dissipatorem & vitricum Imperii, pestilentioremque pestem Germanis nunquàm contigisſe. *Spiegel. ad lib. 5. Guntheri Ligurini.* Cæsarem hodie tributa non habere, Monachos habere, Sacerdotes habere, Nobiles habere, Reges & amicos, & socios & Principes habere; ait Sturmius. *serm. 2. d. Bello adverſ. Turc. perpetuo administr. pag.* 114. Imperii Romani proventus, sub Friderico Barbarosſâ, adhuc fuisſe sexaginta tonnas Auri, prodit Schneidewinus: *Instit. d. succeſs. ab inteſt. sub rubr. de succeßione Fisci, num.* 5. satis ampla pro ratione illius temporis pecuniæ summa. Haud cauti fuerunt Imperatores, qui, ne ii proventus ad alios pervenirent, non præcaverunt. Inde enim Succesſoribus præcisi sunt rerum gerendarum nervi. eviscératum est

Imperium, & Aquila deplumata, ut cæteris animantibus sit contemptui, & nihil sine propriis pennis efficere queat. *Crantz. Saxon. lib.* 10. *cap.* 8. Revocatio tamen eiusmodi alienationum, sine conversione Imperii nunc fieri haut posset. ut disputat Clapmarius. *suprà d. loco.* quamvis id Iulius Pflugius, *in Orat. d. Rep. Germ.* velit.

1. Nunquàm non ordinarii reditus sunt conservandi: *ut dixi disput. politic. 3. th. 37. class. 1.* justus enim metus est, ne cessantibus subsidiis, necessaria deferantur. *Symmach. 10. epist. 50.* Unde apud Cassiodorum Theodoricus rescribit: indigentiam justè fugimus, quæ suadet excessus: dum pernitiosa res est in Imperante tenuitas. Et sicut nullum gravare cupimus; ita debita nobis perdere non debemus. *l. variar. 19.* Quamvis rata habita fuerint generaliter omnia, quæ à Sylla Bellis Civilibus, vel in Provinciâ gesta fuissent; unum tamen hoc Senatusconsultum reprehendebatur, quo remissio Vectigalium fiebat. Reputabat etenim Senatus, non illi licitum esse, cui concesserat omnia, qnibus Respublica pace & Bello salva est, imminuere summas. *Tholozan. 3. d. Rep. cap. 1. nu. 4.* Et ita Neronem, an cuncta Vectigalia omitti juberet dubitantem, docuêre Senatores, dissolutionem Imperii consequuturam; si fructus, quibus Respublica sustinetur, diminuantur. *Tacit. 13. Annal. num. 138.* Ita & Tiberius, deprecante Populo centesimam rerum venalum, edixit: Militare Ærarium eo subsidio niti. Quò respiciunt juris nostri conditores, cùm dicunt; Publicarum necessitatum, & Privati Ærarii utilitas deposcit, ne commoda, quæ domui nostræ debentur, callidis debitorum artibus differantur. *l. fin. C. quor. appell. non recip. l.* 32. *C. Theod. eod.* Impossibile est, ut sacris Tributis non illatis, Respublica alioquin conservetur. Militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, & Collatores ab hostium incursionibus, truculentiaque vendicant.

deni-

denique agros atque Civitates, à latronum alioque modo incompositam vitam sectantium vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt. Muri atque Urbes instaurantur, Balnea publica procedunt; & similia in bonum Civium fiunt. Et quæ à Subditis contribuuntur, partem in ipsos, partim propter ipsos insumuntur, expendunturque. *Novell. 149. cap. 2.* Tributa sine querela publicè inferantur. Neque enim aliter licet conservare Rempublicam, nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum; ex quibus & Militares copiæ nutriuntur, perfruuntur reliqui ordines attributis sibi salariis, denique omnia alia proveniunt, quæ communem Subditorum concernunt utilitatem. *Novell. 161. cap. 2.* Ex hoc item fundamento Jesuitas, tanquàm homines Regni administrandi imperitos, & qui non intelligant, quanti referat Principes pecuniosos esse, notat Hieron. Conestagius; 1. *de Portugall. & Castellæ conjunct. fol. m. 35.* quòd in Lusitania imperante Sebastiano Rege, per Leges suas, quibus Collybum, & rem monetariam ad certam redegerant normam, Regi nervos expeditionum inciderint, redituque Regni vehementer imminuerint.

2. Attamen ad gratiam colligendam, indebitæ exactiones sunt remittendæ, vel tempore publicarum calamitatum cladiumque repentinarum, etiam ordinaria Tributa suspendenda; Imperatoris Nervæ Coccæi exemplo: Qui Civibus Romanis, cùm magnâ laborabant egestate, non tantùm agros ad sublevandam Pecuniam distribuit; sed vestes suas proprias, vasa argentea, atque aurea, reliquamque supellectilem vendidit, atque aliis summâ benevolentiâ erogavit, ut ait Dion. Sicque asperrima in Sardianos lues effecit; ut centies sestertiûm pollicitus Tiberius Cæsar, & quantùm Ærario & Fisco pendebant, in quinquennium remiserit. *Tacit. 2. Annal.* Sicque Adrianus infinitam summam quæ Fisco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque Italia; in provinciis verò, etiam ex reliquiis ingentes summas remisit. *Spartian.* Cum enim Subdito-

ditorum Benevolentia, Principum Thesaurus & custodia existat; *Plutarch. in Arato.* eam Princeps ut retineat aut acquirat, studiosâ operâ curare debet. Et ita etiam de Pertinace Herodianus scribit; *lib.* 2. eum omnia vectigalia, quæ ad contrahendas pecunias Tyranni excogitaverunt remisisse. Nisi enim sæpius in turbato Imperio acum & filum sumpseris, & rupturam consueris; neque tu, neque Respublica poterit florere. *Waremund. de Erenberg. d. Regni subsid. cap. 7. num.* 38. Idque maximè observare debent illi, qui noviter Imperium occupârunt: ne, quod de Mithridate arguit Tacitus; atrociores sint quàm novo Regno conducat. Ita moris fuit novellis Regibus Persarum, primum annum, pro aucupandâ gratiâ, Subditis concedere immunem: quod & Lacedæmoniorum Reges facere soliti fuerunt. *Herodot. 6.* Romani item, cùm Cappadociam, mortuo Rege Archelao in provinciam redegissent, quædam ex Regiis tributis diminuerunt: quò mitius Romanum Imperium speraretur. *Tacit. 2. Annal.* Ob merita etiam Subditorum, ex privilegio iisdem remittere, vel omnia vel partem tributorum, ad æquitatem pertinere videtur. Fidelium enim servitia perire non decet, sed in tristibus impensa, recipere in meliore fortuna. *Cassiodor. 3. var. epist. 32. quem vide. & add. Novell. 163.*

3. Multum ad Ærarium contulerit, Quæstorum, Fiscique Procuratorum coërcere peculatus, & scelera repetundarum. Diligenter curari debet, ne vectigalia à variis hominibus & pravis, qui omnes pecuniæ vias norunt, omnesque fraudes pecuniæ caussâ suscipiunt, minuantur: sive Publicani ii sint, sive ipsis cura Regiorum Vectigalium concredatur; quâ peste vix ulla magis tetra excogitari potest. Quàm grave Reipublicæ, bonisq; sit invidiosum, pleroſq; ad eam procurationem accedere exsuccos, sine censu; eosdem intra paucos annos copiosos & beatos evadere: à quibus profectò exigendum esset, ut rationem opum quæsitarum ponerent exactam, *Mariana, lib. 3. cap. 7.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [34] - 28

cap. 7. fol. 262. Ita olim Romæ Cato Minor, simulatque Quæstor est constitutus, Ærarii statim administrorum & scribarum, novam instituit rationem. Primus novo modo, non titulum tantùm & honorem; sed & animum rationemque eo Magistratu dignam attulit, scribisque (id quod erant) pro famulis usus est: partim eorum maleficia arguens, partim ignorantiâ peccantes erudiens. Ita Ærario Sycophantis exclusis, eoque pecuniâ repleto; docuit licere Civitati, etiam absque injuriâ, diviti esse. *Plutarch. in vita. num. 5. per tot. ubi multa lectu dignissima occurrent.*

4. Ad conservandum Reipublicæ Ærarium, pro axiomate & istud poni solet: Ea quæ Diadematis, vel ut vulgò Jureconsulti loqui solent, Domanii sunt, & subjectionis notam habent; ut census, tributum, potestas ea exigendi & similia, nisi paucis iisque urgentissimis de caussis; non solùm alienari non posse: sed & à Majoribus alienata revocari debere. *Hippol. à Collib. Princip. cap. 33. latè & nervosè P. Gregor. Tholozan. 3. cap. 8. à num. 1. usque 12.* Feuda quæ emortuâ familiâ Vasallorum, ad Dominum redeunt; non sunt aliis largienda, sed mensæ quod ajunt, applicanda. Infinitæ donationes, ac largitiones immanium pecuniarum, indignissimis hominibus factæ, sunt revocandæ. *Bodin. 6. cap. 6. num. 657.* Et passim reperias exempla donationum Regiarum, quæ à Parisiensi Curiâ revocatæ atq; abolitæ fuerunt, *ex Connano Clapmarius 5. cap. 13.* Ita enim præcavetur, ne porrò Proceres avidas manus, in publicas injiciant opes; eorumque aviditas & audacia refrenatur. Quàm paucos sanè futuros esse puto, qui à Principibus petere, aut ultrò sibi oblata capere velint, si aut revocare posse putent, aut rationes reddere cogantur. Id secutus Henricus tertius eo nomine Rex Castellæ, qui Vectigalia à Proceribus occupata, memorabili, sed aliquantùm violento exemplo, liberavit: quod apud Marianam, *3. d. Regis Inst. cap. 7. fol. 263.* videre licet. Hoc idem urget auctor du Secret de Finances; qui *in epist.*

epist. dedicat. Galliæ Regem omni ære alieno liberare spondet; si vel decima pars largitionum & alienationum illicitarum, revocaretur. Nero effuderat bis & vicies mille sestertiûm: Galba igitur Imperio occupato, cùm pecuniâ haberet opus, in publicum appellari singulos jussit; decimâ parte liberalitatis apud quemque relictâ. Ubi Tacitus: Justissimum, inquit, fuit, hoc inde repeti, unde inopiæ causſa erat. In Galliâ quò Aulicorum hominum rapinis obviam iretur, Legibus est constitutum; ut dona Principis irrita essent: nisi is cui quid dono datum fuerit à Principe, donationum tabulis, antecedentes majoribusque suis factas largitiones complecteretur. Item ut largitio nulla à Principe facta vim haberet, nisi apud acta Rationalis Curiæ insinuaretur, quæ Leges jam pridem obsoleverunt. *Bodin. 6. cap. 2. num. 674.*

CAPUT III.

ÆRARII *Augendi* RATIO alia est, quâ semper, & quâ summæ necessitatis tempore, uti Respublica potest. In priori casu, omne Subditorum gravamen detestamur: in posteriori verò, necessitatis, minornè vel maior sit, ratio haberi debet; ne Subditos gravemur magis, quàm pro proportione necessitatis. Mala autem extrema, remedia quoque extrema exigere videntur.

II. Aliàs abesse debent ab Aerarii puritate, omnia compendia; *Symmach. 10. epist. 54.* Oraculi loco sit illud, quod olim Pertinax Imperator addidit cuidam Senatusconsulto: Sanctiùs esse inopem Rempublicam obtinere, quàm ad divitiarum cumulum, per discriminum

minum atque dedecorum vestigia pervenire. *Capitolin.* Item istud Tiberii 3. Imperatoris : Qui Aurum cum lacrumis & querelis Subditorum collectum, sibique oblatum, adulterinum & venenosum esse pronuntiavit. *Simon Goulart in apophth. Sacris, tit. de Eleemosyna, fol. 163.* Procul dubio Dæmonum instigatione, præter necessitatem & supra modum tributa exiguntur. Quod exemplo docuit Deus Eduardum 3. Anglorum Regem. Cùm enim Tributorum Populo impositorum exactores, ingentem aliquandò acervum eius pecuniæ collectæ, delectandi Regis gratiâ coràm adduxissent; ille subitò Dæmonem circa ipsum acervum ludentem visere visus fuit: ob idque huiusmodi pecuniam, ut rem funestam abhorrens, illicò aufferri ab oculis, restituique Populo iussit. *Polydor. Vergil. lib. 8. hist. Angl.* Felices sanè illos Principes esse puto; qui malos Spiritus circa talem pecuniam semper oberrare credunt; etiam cùm illos haud vident.

1. Quùm Romæ inter Cardinalis cujusdam domesticos quidam dixisset, hominem valdè litteratum in Urbem venisse; alius quæsivit, quas nam ille litteras haberet aut afferret? Respondente altero, Hebraicas, Græcas, Latinas, &c. Ille Argentarias sive Collybisticas malim, inquit, *G. Ens, Epidoxpid. lib. 2. fol. 255.* At has litteras captiunculasque, quas magni faciunt quidam Principes, & per quas apud illos multi fiunt magni: Eques olim quidam Hispanus, uno festivè verbo docuit, comprehenditque omnes. Nam cùm Ferdinandus Arragonius, Neapoleos Rex, novi Portorii commendabat excogitationem, hujusmodi quod erat; Stipendium qui de Regio

Regio acciperet Ærario, pro singulis centenis aureis, quatuor annuos in Ærarium ut referret. Is qui tum aderat Eques: ô Rex, inquit, quò apud te commendatior multò sim, id tibi dederim consilii, nobis omnibus, quos & pascis & vestis, ut victum eripias & vestitum. *Jovian. Pontan. d. Sermone, lib. 5. cap. 1.* Sanè satiùs esset, si Magistratus Subditis omnia eriperet simul unà; variis quàm excogitatis rationibus subtilibus lentè torquendo, ad inopem miseriam redigere eosdem. Si qui sunt Consiliarii, qui se non Justitiæ, sed utilitati Domini sui inservire debere putant; hi maledictionem attrahendo Divinam, multò plùs Principi nocent, quàm prosunt.

III. Nunc modos nonnullos, quibus augeri Aerarium, licitè forsan & regulariter potest, enumerabo. quâ de re prudentissimus extat discursus, genuini illius Socratici pulli Xenophontis, de Proventibus inscriptus. Ac quamvis Henning. Arnisæus, tales modos scrupulosè non conquiri debere putet; cùm nec numerum nec scientiam habere videantur: & è re natâ pro cuiusque prudentiâ excogitari possint. *libr. 2. doctr. politic. cap. 1. fol. 566.* iuvat tamen aliorum exempla præ oculis habere; ut vel ea imitemur, vel evitemus, aut pro parte saltem cuique Reipublicæ accommodemus.

IV. Ac sanè à Fœneratoribus, *vid. Bodinum, 6. de Repub. cap. 2. num. 667.* Blasphemis, calumniatoribus, aliisque similibus, condignæ si pœnæ exigerentur: ad temeritatemque in litibus præcavendam, ad Antiquorum prudentiam si recurreretur; *vide, quæ post Bodinum, d. cap. 2. n. 662. dixi in tract. d. Adpellat. cap. 13. §. 6.*

tam

tam hodie moribus, quàm etiam Ærario meliùs consuleretur. Sed tamen quàm maximè heîc est cavendum, ne illectione lucri, ulteriùs progrediamur, & magis pecuniam, quàm criminum punitionem amare videamur: aut Delatoribus improbis locum esse patiamur. Vnde meritò Antonin. Philosophus Imperator, delationes quibus Fiscus augeretur, contempsit. *Capitolin.* apud malos è contrà Principes, crimen sæpè fuit, divitem esse.

Romani, quos pro criminibus oppidò gravibus supplicio afficiebant, illorum bona publicare, illaque publicis usibus consueverant destinare: ita ut Domini supplicium, bonorum publicatio sequeretur. *Alex: ab Alex. 3. genial. c. 23.* Hodiè verò in solo crimine Maiestatis, pœna vulgaris est Publicatio bonorum: *l. quisquis. ad L. Jul. Maiest. cap. 1. quæ sint Regal.* etiamsi descendentes aut ascendentes extent. cùm d. l. Quisquis, generaliter loquatur. In cæteris criminibus, communi consuetudine, à jure confiscationis est recessum. Non immeritò autem Politici disputare videntur: Utrùm præstet bona damnatorum propinquis quàm Reipublicæ adjudicari? *vid. Bornit. h. 3. c. 6. & Frid. Martini. tr. de confib. ad fin. ubi interpretatur art. pen. Const. crim. Car. V.* Certè id propterea haud consultum esse videtur; quia aliàs res judicatæ, siniſtram suspicionem incurrere possent.

V. Totis viribus in id incumbere Respublica debet, ne pars ulla Regionis deserta, vel rebus minus utilibus sit destinata: utque Masinissæ encomium mereatur, de quo legitur; quòd totam Numidiam, ex incultâ & desertâ, omnium fructuum abundantissimam reddiderit. *vid. Boterum, de Polit. illustr. 7. cap. 4.*

Rectè loca deserta, & inculta, nulliqúe distributa, ut montes & similia, quæ nec occupantur à privatis, aut ab oppidis, vel pagis; ad Reipublicæ dominium pertinere judicantur. Pro quorum perquisitione, rectissimè olim instituti sunt Inquisitores diligentes, qui ea inventa dominio adiungerent Imperatorum. Diviserunt deinde Principes aut Respublicæ, steriles & desertos inventos agros, Colonis excolendos; ab initio quidem gratis, & sine pensione, postea verò constitutâ pensione. *Petr. Gregor. Tholos. 3. cap. 2. num. 9.*

2. Considerandum Aristoteles ait, *2. Oeconom.* quinam fructus, aut non proveniant, cùm possint provenire; aut cùm exigui sunt, an augmentum admittant? Sic maxumè, ut puto, accommodum & utile esset; si subditi cogerentur ut in fundis suis, pomos, piros, prunos, cerasos, persicos, aliasqúe serèrent arbores frugiferas; idqúe in publicis etiam locis non negligeretur: ita ut nulla pars foret Regionis, quæ non arboribus pro soli genio opacaretur. Sylvarum, & vastatio omnium fructuum terræ, quàm copia ferarum augere putatur, salubri consilio inhiberi posset. ut vaticinium Phil. Melanchthonis impediretur, quo dixit: Tria Mundo defuturâ aliquando; nempè Ligna, bonam Monetam, & bonos Amicos. *Keckerm. 1. polit. c. 21. fol. 330.* Abietes, aiunt, felici satu provenire; quod notent qui vivunt in locis, ubi olim multa, nunc nulla ligna.

VI. An Respublica, rerum venalium Monopolia facere debeat? (Saltzkauff/ Weinkeller/ Kupffer vnd Eysenhämmer/ &c.) Quæstio est maxumè controversa. de quâ videri possunt Bodinus, *6. d. Rep. c. 2. num. 650. &c.* P. Gregor. Tholos. *3. de Rep. c. 6. à nu. 45. usq; 51.* Hippol. à Collibus, *in Principe, c. 34.* Boterus, *d. polit. illust. 8. c. 14.* Keckerm. *disp. pract. 34. q. 12.* Nos id in publicâ pecuniarum indigentiâ, cum Aristotele

ſtotele concedimus. 1. *politicor.* 7. extra quem caſum (niſi ab antiquo ita fuerit obſervatum) cautè hoc medio eſt utendum; tantidem enim Subditis, eo qui mercimonii genere ſuſtentantur, detrahi, nemo non videt. nec facilè rationes & ordines ſingulorum, cum publicis confundi debent. Hincque Theodoſius Imperator ad uxorem: Cùm me Deus Imperatorem deſignârit, tu me Mercatorem facere contendis? Scito autem, Mercaturam privatis hominibus eſſe conceſſam, ut eum tolerandæ vitæ modum habeant. quod ſi nos præter Imperii opes, etiam Mercaturæ emolumenta interceperimus, unde nam ſubditi victum comparabunt? *Zonaras, annal. tom. 3.*

Mercatura aliàs ni Subditis obſit, dedecori non videtur eſſe Regiæ dignitati. Ego (ait Bodinus) ſi ſtatuendum mihi ſit, Principem Mercatorẽ nolo; ſin optio detur, Mercatorem malo quàm Tyrannũ: & Patritios viros negotiari, quàm prædari. Et ſic Luſitaniæ Reges, cùm anguſtiſſimis Regni finibus coercerentur, nec Jura ſuæ Maieſtatis commodè tueri poſſent, nec Subditos rodere vellent; mercaturam abundantiſſimam & quæſtuoſiſſimam, ſine coëntumeliâ & maxumo Reipublicæ commodo exercuerunt. Verùm cautionibus atque limitationibus ſequentibus hîc opus eſſe videtur. (1.) ne inde commercium, emendique & vendendi commoditas difficilior reddatur; ſed potius ſubditi à Mercatorum impoſturis liberentur. (2.) Non niſi ei Mercaturæ ſe immiſcere Princeps debet, quæ peregrinis potiùs Mercatoribus, quàm incolis emolumentum adfert. Haut quippe improbandum eſſe videtur; ſi potius publica res, quàm exteri eiuſmodi percipiant utilitatem. (3.) Totum Reipublicæ corpus, eam honeſtiſſimè exer-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [41] - 35

cet Mercaturam, quàm singula membra non possent. *Bornit. h. 2. c. 1. & 2.* Sicque de Salomone dicitur, 1. *Reg. 10. vers. 22. & 2. Paralip. 8. v. 30.* quòd cum Rege Churam Maritimæ mercaturæ operam dederit; cuius nempè sumptus Subditi tolerare non potuissent. At consultiùs esse puto, si ad juvandam patriam necessariis rebus externis, Principes pecunias contribuant industriis Mercatoribus; unde etiam suam cum publicâ augeant utilitatem. Mercatura enim totum hominem exigit, & plerumque Principes ab Institoribus decipiuntur. Ubi notandum est, quod de Portugalliæ Regno scribit Compilator Thesauri Politici, *part. 1. f. m. 110.* Queste tante mercantie, che dal India, & da tutte le parti del mondo, vengono in questa città (Lisbona) si spargono per tutta l' Europa, con molta utilità de Portughesi; & molto maggiore sarebbe stata quella del Rè, che haveva le speciarie per suo conto, se dalle proprie ministri non fosse stato gabbato. Ma si può veramente dire, che da alcuni anni in quà, il Rè si sia piu tosto impoverito, con tutto che le mercantie siano utilissime; onde hà concesso à particolari di poterle fare, con riserbarsi alcuni Datii; de' quali ne ha trovato settecento mila Ducati, oltre ogni spesa per conto delle Mercantie. (4.) Annonas & similes necessarias res, quæ ab exteris exportantur, coëmere Princeps potest; ut postea, tolerabili pretio Subditis, cum iis indigent, vendere queat. quod consilium fuit Josephi, Pharaoni suppeditatum. E contrà Alphonsum Regem Neapolitanum, suis æquè ac exteris odiosissimum fecit; quòd olei ac frumenti, quicquid in Apuliâ concreviisset, vilissimo pretio emebat, ut summâ annonæ egestate ac inopiâ, arbitrio suo addiceret: non permittens Dominis suum vendere triticum & oleum, donec ipse distraxisset. *Comin. 2. d. bell. Neapol.* (5.) Modicum lucellum ex rebus minutis aucupari, non minus indignum Principe, quàm reprobandum censetur: apud quem non locum habere debet versiculus ille;

Bonus

Bonus odor lucri qualibet ex re,
Sive unguentum sit, sive corium.

2. Ex quibus subsequi puto, rectè visam pluribus negotiationem non tantùm sordidam, sed & crudelem, quâ usus fuit Antonius Leva, à Carolo V. Imperatore, Mediolano præfectus; dum Lege prohibuit, ne quis Civium triticum moleret, aut panem penes se faceret, sed cogeretur emere à tabernis, eâ de re Aquilæ signo insignitis. *Sabell. in supplem.* Ferè similis ratio est, si Dominus Subditis suis mandet, ne ab aliis, quàm à se cerevisiam emant, & ne alibi molant, & panem coquant (Bann-Mühln/Bachfuchen) quàm in suo molendino & furno: aut simile quid jubeat, quod voluntati & libero arbitrio meritò relictum esse debet. *pulchrè Andr. Rauchbar, quæst. Iur. part. 1. quæst. 27. Amplis. Rutger Rulant, decis. 24. Ioh. Copus, decis. 20.*

VII. Suadet Bornitius, *in Ærario* 1. c. 4. ut Principes ferarum usum capturamque ad Ius gentium revocent; iure tamen Regali illibato, sibique vectigali in singula capita reservato.

VIII. Imitandum itidem suppeditat exemplum, Macedoniæ Rex Philippus Persei pater: Qui vectigalia Regni, non tantùm fructibus agrorum auxit; sed Metalla, & vetera intermissa recoluit, & multis locis instituit nova. *Livius* 39. Hoc lucrum vera est Principum Mercatura, quibus nemo præter Principem manum admovere potest. *Rauchbar. 1. quæst.* 22. & Respublica quælibet id haud negligere debet. *Xenophon. in tr. d. proventibus.* Ex hisque proventibus, Electores & Duces Saxoniæ, intra Annos 79. ex venis Schnee-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [43] - 37

bergensibus, ex decimis & signatione argenti, 4118. tonnas auri collegerunt. *Albinus* **in der Meißnischen Berg Cronick.** *tit. 4. fol. 31. & seq. Bornitius h. 1. c. 5.*

IX. Pecuniæ etiam publicæ accumulandæ ergò, Mons Pietatis, ut vocant, erigi potest. ex quo pecunia publica ad legitimas, vel paulo maiores Vsuras mutuo conceditur; pignore (auri vel argenti non signati) dato. **Gemeiner Wechsel.** quâ ratione insimul Fœneratorum fraudibus occurri posse, videtur. *Bodinus, 6. c. 2. num. 665. Bornitius h. 1. c. 7.*

Hûc refero, quod in quibusdam locis usurpari solet: ut certam pecuniæ summã à privato accipiat Fiscus; eiq; vel alimenta, vel pensionẽ (usuris vulgaribus maiorẽ) ad dies vitæ concedat. **Pfrundtkauff.** Alicubi, in Italia præsertim, cui Filia nascitur, in Ærarium Pietatis, pecuniã dotalem quam volet, hâc lege inferre licet, ut non repetere possit: sed cùm puella annũ 18. attigerit, decuplam pecuniam maritus puellæ, dotis nomine ab Ærarii Quæstoribus recipiat. *Bodin. d. num. 665.*

X. Ollam verò Fortunæ publicam (**Glückhafen/ offne Lottereyen**) improbamus. *v. Bornitium h. 2. c. 4.* Belgæ tamen, ad colligendos reditus pro Pauperibus, illas instituunt publicas sortitiones; & lucrum quod exindè capiunt, conferunt ad nosodochia ædificanda, eorumque reditus instituendos. *Keckerman. 1. pol. 21. f. 342. & v. eund. c. 22. f. 361.*

XI. Vsum item Alchymiæ, ad pecuniam publicam comparandam frustrà adhiberi, contra Bornitium, *2. cap. 5.* experientia docet. Quin &, ne passim

pri-

privati huic rei, lucri cupiditate moti, ſtudeant, ſanciendum eſſe reputamus; cum Keckermanno: Qui ſapientem omninò Legem eſſe, ait, quæ lata fuit in Angliæ Regno, ne quis privatus ſine conſenſu Regis exerceat Alchimiam. *l. polit. 22. f. 362. & v. eund. pract. diſput. 32. quæſt 9. La Noue, diſcours. 23.* Fruſtrà ſanè veterum ſcripta de fuſione argenti atque auri, combuſsit Diocletianus, ne ex illa arte ditati Ægyptii, rebellarent. *Suidas.* tutius ea ipſis reliquiſſet, ut ſtultitiæ huius præmium acciperent Paupertatem.

Sine Spagiricâ ſeu Alchymiâ, fruſtrà Naturę arcana ſollicitari, non niſi quorum oculi lolio ſunt vitiati negabant. Sed fugiendi ſunt aucupes crumenarum; qui aurum quod poſtea aliis pollicenter, ſibi captant priùs: quibus ſi qui adhibent fidem, eos ſalsè ridet Georg. **Rollenhagen/ im Froſchel Meuſeler.** *lib. 1. c. 15.* Morbus is eſt certæ egeſtatis, & caſſi laboris comes: curioſis & avaris ingeniis familiaris. quibus ſequens receptum carè venditur hautrarò. *(commemoratum à Clariſs. Remo, ad Themiſt. fol. 181.)*

Nimb das / ich weiß nicht was;
Thu es do/ ich weiß nicht wo;
So wirdt es dann / ich weiß nicht wann:
Blaſe es drauß/ biß nichts bleibt im Hauß.

XII. Ex teſtamentis quoque amicorum, magnam olim pecuniam accepêre Romanorum Imperatores; eorumqúe Fiſcus, Legatis & hereditatibus teſtamento relictis, redundabat. Auguſtus, quamvis hereditates ad ſe teſtamẽto delatas; Liberis teſtatorum reddi iuberet, nec acciperet quicquàm ab ignotis; ſed ab

iis

iis tantùm qui orbi mortui essent, quosq; bene cognitos haberet. & tamen immanem summam pecuniarum, hâc ratione cepit, 35. nempè nostræ ætatis milliones. *Bodin. 6. c. 2. num. 647.* Hacq; collatione, honestiùs nihil, nihil laudabiliùs censeri posse inter vivos & apud posteros, Bornitius censet; *quem vid. lib. 9. cap. 1. & 2.* quippe quæ Patriæ fit amore, quam omnes amare tenentur. Sed hîc coactio omnis abesse debet: & ne cum Caligula, Testamenta eorum qui Principem negligunt, ut ingrata rescindamus. *Nicol. Betsius, de pact. famil. cap. ult. fol. 732.*

XIII. Quam plurimorum olim divitiæ, in Servorum multitudine consistebant: hos & Princeps sibi comparare posset, si fures, aliiq; deliquentes (quibus sine læsione Divinorum præceptorũ vita concedi potest, & qui sine fructu, Relegatione aut Fastigatione puniuntur) in Metallum, vel alia publica opera, ad tempus vel in perpetuum, condemnarentur; aut eorum opera, privatis illorum servitio indigentibus certâ mercede addiceretur. Possent etiam Belgarũ laudabili instituto, prodigi, immorigeri, mali vagiq; homines, ad laborem aliquem Reipublicæ utilem compelli, aut singulari modo, in Carcere quodam publico exerceri: ut victum labore & manu mereantur, & tandem ad frugem vitamq; meliorem regressi, emendatiores, & mansuetiores, laborisq; patientes dimitterentur. *vid. Hippol.*

Hippol. à Collib. d. increm. Vrb. cap. 23. & Isac. Pontanum, in hist. Vrb. Amstelodamens. 2. cap. 9. & seq. Quantùm verò compendii & lucri ex operibus istorum hominum, Fisco procuraretur, facilè coniici potest. Huius item pœnæ metu, pauciſsimi invenirentur in trivio mendicantes validi, otioſi, prodigi, & id genus iutilia pondera terræ.

XIV. At hi, ſimileſque Ærarij augendi modi omnes, tùm demùm ſunt uſurpandi; Reipublicæ ſi ratio, Regioniſque & Populi natura ac conditio hoc admittat: quæ ſingula, maturo priùs Iudicio ſunt dijudicanda. Eſt enim longa differentia inter artem Civilem, quæ præceptis ferè generalibus inſiſtit; & inter Prudentiam Civilem, quæ genera illa ad ſingularia (quæ infinita & varia, variantibus circumſtantijs) applicat & transfert ad uſum. Quo diſcrimine non obſervato, multi errore decipiuntur enormi; quaſi quævis præcepta & modi, adeoq; omnibus ac ſingulis Rebuſpublicis adaptari poſſent. *Bornit. h. lib. ult. cap. 3.*

CAP. IV.

QVemadmodum Paterfamiliâs, cum res non neceſſariæ, ad alendam familiam, tuendamque domum non ſatis ſuppetunt; quærere per facultatem quæſtuariam cogitur: Sic & in Civitatis inopiâ, ad varias pecuniæ faciendæ extraordinarias pervenitur rationes. quarum multas (ſed Tyrannicas magnam partem)

Aristoteles recenset, 2. *Oeconomic. per tot.* & Tholosan. 3. *de Rep. c.* 6. Ego in duplici differentiâ eas esse puto: vel enim à Subditis extraordinariè exigitur, vel quâ aliâ ratione pecunia comparatur. Quarum semper, quæ quàm minimùm Subditis onerosæ videntur, sunt consectandæ.

Cùm interdum caussæ & publicæ incidant necessitates, quæ longè majores desiderant expensas; optimo consilio Principes & Respublicæ sibi reservârunt extraordinarias impositiones. quas præter morem indicant, ad certum tantummodò temporis spatium. *arg. l. 1. C. vectig. nov. inst. non posse. Bornit. 6. c. 1.* Unde Cicero, non est dubium, inquit, *2. offic.* propter Ærarii tenuitatem, tributum esse conferendum, ut omnes intelligant, pro salute Reipublicæ necessitati esse parendum. Quamvis sapientiùs Respublica agat, si tempore pacis, & quo non eget, eas pecunias sine onere Populi cogat, in Ærariumque reponat; quibus possit sine indictionibus Tributorum, communem patriam, tempore exigente relevare. Danda ergò erit opera, ut propter Ærarij tenuitatem, assiduitatemque negotiorum, Tributum certum conferatur, illudq; annuum; quod minutum non gravat, & longo tempore sæpè collatum & reclusum, Ærarium auget: ac ita in tempore necessitatis paratum invenitur, & à gravioribus novis, quæ necessariò essent contribuenda, Populum liberare potest. *Tholosan. 3. d R. c. 4. num. 3.*

2. Necessitas facit esse justum, quicquid ab Bonum publicum vergit; & quæ reddidit tolerabiles tam ingentes & violentas exactiones Romanorum. Augustus à Civibus exegit sub Triumviratu, quartam partem fructuum redituumque, & à Libertinis octavam omnium bonorum partem. *Plutarch. in Antonio. n. 12.* Vespasianum ad manubias & rapinas, summa Ærarij Fisciq; inopia deduxit: de quâ testificatus est initio statim

tim Principatus, profeſſus decies centum milliones coronatorum neceſſarias eſſe, ut Reſpublica ſtare poſſit. *ex Sueton. Bodin. 6. c. 2. n. 655.* Nulla hodie natio ſub Sole eſt, quæ non habeat querimonias & oppreſſiones. Jam diu olim fuit, quùm Populus de onerũ conqueritur auctione: & Charon qui ab initio uno obolo contentus erat, poſtea duos exigere cœpit, donec tandem ad tres obolos tributum perduxiſſet. *Ariſtoph. in Ranis.* Gallia admodùm felix & beata fuit, antequàm rebellio incolarum & ambitio extraneorum, adegit Reges recurrere ad rigorem & aſperitatem eiuſmodi remediorum extraordinariorum. Non exigebatur ſub Regis nomine quicquàm, præter Vectigalia & tributa quædam, quæ Pedagia, barragia & traverſa vocant, & alia quædam præcipua Regia, non magni momenti. Bella Anglica introduxerunt ſubſidia Taillarum, aliarumque. Aucta poſtea in eum numerum Tributa fuerunt, ut nomina ipſa vix inveniantur, quibus ea exprimi poſſint. *Pierr. Matthieu. lib. 2. narrat. 3.* Hinc deſcendunt le don & octroy, Fouages, Aydes, Douane. Equivalans, Impoſition de Traite foraine, Gabelles, Solde de cinquante mil hommes, Taillon, Augmentation de la gendarmerie, Impoſition ſur l'entrée des vins, Emprunts generaux & particuliers, Subvention ou ſubſide de cent ſols pour procez, Rachats de leur communes, Nouvelle ſubvention de partie ſur les villes cloſes, Augmentation ou diminution du prix de Monnoyes, Crues, ſurcharges de deux, trois & quatre ſols pour livre, gros du vin, & huictieſme du vin qui ſe vend en detail, &c. *Secret des Finances, in epiſt. dedicator.* Mos etiam veterum fuit, convertere vectigalium odioſa vocabula, in alia conſueta. Sæpè Tributa invicem nomine commutantur; ſæpè Tributorum nomina aufferuntur, non res: varia enim & nova genera Tributorum, Plebi ſunt infeſta; antiqua non item. *v. Iac. Durant. Caſellium, variar. 2. cap. 8.* Sicque in Gallia Carolus V. Subventionis, quam Tributi aut Indictionis voce, maluit uti. *Bern. Girard. tom. 2. lib. 17. fol. 387.* In Germania itidem, Collationi

extraordinariæ tam varia nomina imponuntur; ut pariter nominibus laboretur. **Reichsſtewr / Landtſtewr / Ablosung / Newe Anlag / Bewilligung / Türckenſtewr / Römerzug / Kriegsſtewr / Frawlinſtewr / Nachſtewr / Forſtgelt / Soldatengelt / Malſchwein / Maſtgelt / Laſtgelt / Balckengelt / Maßbaumgelt / Weinkauff / das beſte Hauptvieh / Pflueggelt / Nodtgelt / Trifftgelt / Zehenden vom Fleiſch / Wein / Korn / Erbſen / ꝛc. Viehſchatz / Scheffelſchatz / Hufengelt / BawholtzFuhr / Tranckſtewr / Schornſtein: oder Camingelt / Spanengelt / Schutzgelt / Freygelt / Ungelt / Bruckengelt / Weggelt / Auffſchlag / ꝛc.** *Warem. de Erenberg. de Regni ſubſid. c. 4. & 5. Caſpar Klocke, diſp. de Contributionib. th. 3.* Sanè quod apud Terentium in Phormione, de Geta dicit Davus, *Actu.* 1. *Scen.* 1. ferè hûc quadrare videtur.

—— *Herilem Filium eius duxiſſe audio*
Uxorem; ei credo munus hoc corraditur.
Quàm iniquè comparatum eſt; hi, qui minus habent,
Ut ſemper aliquid addant divitioribus?
Quod ille unciatim, vix de demenſo ſuo,
Suum defraudans genium, comparſit miſer,
Id illa univerſum abripiet; haut exiſtimans
Quanto labore partum. Porrò autem Getæ
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit:
Porrò alio autem, ubi erit puero natalis dies, &c.

Ita ſimiliter varias captant occaſiones nonnulli, ad Subditos collectandos. Et non rarò etiam, onera extra ordinem quæ imponuntur; in Ordinaria degenerare conſueverunt. eſt enim illud inter arcana Veterum Tyrannorum nimis contritum, Belli conquirere occaſiones, ut Subditos etiam Bello confecto, urgeant ſemper. *Bodin. 6. c. 2. n. 664.*

II. Cùm à Subditis pecunia emulgetur, cauto tunc opus eſt; ne aſperitas negotij, effectu irrito, ſolas arceſſat

arceſſat offenſas. *Symmachus*, 10. *epiſt.* 27. Hoc verò non fiet; ſi tàm ut Subditi velint, quàm ut poſsint contribuere, efficiatur. Non inviti autem in publicum conferre Subditi ſolent, & ſub onere patienter durant (*vide Nicol. Betſium, d. pact. fam. c. ult. f. 734. &c. ubi quatuor cautiones recenſet*) (1.) Publica neceſsitas ſi adſit: quæ hoc habere putatur, impoſsibilia ut perſuadeat plerunque. *Symmach. d. epiſt.* 27.

Adeò violentæ exactiones pernitioſæ reputantur; ut Reges Perſarum nihil à Subditis exigere, nihil excutere conſueverant, ſed ea tantùm capere, quæ ſponte donarentur. ut & in Æthiopia nihil imperatur, ſed omnia ſponte offeruntur? *Bodin. ſæpè dicto cap. 2. num. 647.* Prudenter ille Princeps cuidam ſciſcitanti, quod optimum Vectigal caperet ex Civitate: Quod Populus reſpondit, potius ex honore, quàm onere pendit. *Henr. Farneſ. in apophth. Aldobrandin. tit. 24.* Similis collatio eſt in Angliæ Regno, quæ Benevolentia dicitur; quam Rex quidem petere quodammodo videtur, ſed tamen ferè omnes ad illam exiſtunt prompti: ne inviti, amore & favore Regis deſtitui videantur. *Polydor. Vergil. lib. 24. & 26.* Exemplo Eduardi IV. qui cum amicis egit, ut ſponte ad ſumptus Belli pecuniam erogarent; quòd ipſe ex eâ re ſingulorum benevolentiam menſurus eſſet.

2. Ad Tributorum extraordinariam exactionem, nunquàm perveniendum; niſi neceſſitas urgeat ſumma. Nihil tam magno ſtudio, tamque ſeriò affectare debet Princeps; quàm ne novo quiſquàm vectigali oneretur: *Novell. 43. cap. 1. §. 1.* ſi non Populi hirudo, lupus rapax, homicidia Pauperum, & harpya velit indigitari. *Althus. polit. c. 11. num. 25. videatur etiam omninò Conſilium Dn. D. Iohan. Brentij, quod eſt inter conſilia Theologica, Dn. Felicis Bidembachij, dec. 6. conſil. 9.*

Ob/vnd wann ein Christliche Obrigkeit jhre Vnderthonen mit gutem Gewissen schätzen möge. Commemoratione digna est Ludovici Sancti, Galliarum Regis, ad Philippum filium cohortatio gravis & efficax, quam Testamento inseri mandavit, in hæc verba: Fili, religiosus inprimis erga Deum esto; benignus ac liberalis adversus egentes; Legum ac morum huius Imperii custos ac vindex acerrimus; à Vectigalibus & tributis abstineto, nisi te summa vis necessitatis, ac utilitatis Publicæ justissima causa, ad hoc impellat. Sin minus, Tyrannum te potius, quàm Regem futurum putato, &c. *Bodin. d. c. 2. n. 655.* Non arbitrari Principes debent, tam stolidum esse Populum, qui promptè tenetur ad necessaria Reipublicæ conferre, & meritò erubesceret in eam causam auxilia detrectare vel negare; ut non noverit, an causa quæ falsò prætexitur, subsistat, & quin judicet (quamvis non apertè) de suo Principe, eum avarum & Tyrannum esse. *Petr. Gregor. Tholos. 3. c. 9. n. 15. ad fin.* Causa ergò impulsiva debet esse, singularis Reipublicæ, sive Pacis sive Belli, communis aut particularis necessitas quædam. *Althus. pol. c. 13. n. 2.* Cùm tot res commodæ, ut sunt Palatia Regia, horti Regii, piscinæ, vineæ, ministri multi, gemmæ, equi, Musica, deliciæ Regiæ, & alia propè infinita; tandem aliud nihil nisi tædium pepererint Salomoni: profectò imprudenter agunt Reges & Principes, si in eiusmodi res, nimios sumptus & labores collocent. Impiè autem faciunt, quandò ad eas res comparandas, Subditos suos intolerabilibus spoliant exactionibus. *Digniss. Acad. Tub. Cancell. Andr. Osiander. ad 2. Ecclesiastis. lit. β.* Quæri hîc posset, an Subditi cogi queant, ut æs alienum Domini exsolvant; hâcq; de causâ extraordinaria contributio ipsis imponatur ritè? Quod Thom. Maullius, *in tr. de homagio, cap. 6.* negat. In tantùm, ut etiamsi Dominus propter æs alienum sit captus; non tamen Subditi cogi queant, pro eo solvere aut fidejubere. Quod ita intelligit verum; si Dominus, pecunias in Equos, ædes,

ædes, veſtes, vel alias delicias ſuperfluas exponens, iſtud contraxerit æs alienum. At cùm Populus plenâ felicitate frui non poſſit, quamdiu Territorium omni nexu pignoris non eſt liberatum; quod ſcribit Pierre Matthieu, *lib. 2. narr. 3. f. n. 342.* Prudentes igitur Ordines, hâc in parte ad contributionem haud difficulter ſe permoveri ſinent; & interim ſtudioſâ curâ recidivam impedire debent. Subditi itidem pecuniâ Dominum redimere captivum, & ideò contribuere tenentur. *Maulius, d. loc. c. 8.* Et adhuc alios nonnullos caſus, præter neceſſitatis & utilitatis publicæ, recenſent Interpretes noſtri Juris. *Maulius c. 9. num. 22. &c.* Puta ſi Dominus pro ſe, vel ſuo Filio, acquirere velit Equeſtrem vel aliam dignitatem. Si cupiat Territorium acquirere de novo. Si elocet filiam ſuam. Quæ tamen omnia variis limitationibus reſtringuntur. Certè quod Dominus, Subditos pro maritandâ filiâ, collectare poſſit, Nicol. Betſius negat. *d. pact famil. c. 6. f. 194.* Et tamen hoc faciunt, nunc ab Henrico I. Angliæ Reges. *ex Polyd. Vergilio Tholoſanus, 3. d. R. c. 4. n. 17.* Et ruſticos, more Germanorum noto, conferre ad filiam Principis, imò Nobilis elocandam: Uſumque inibi non uni, ſed omnibus Filiabus Dotis tribuere collectas (verùm pro Nuptiis tantummodò primis) atteſtatur Waremundus, de Erenberg. *d. ſubſid. c. 4. n. 13. &c.*

3. Quæ & quantæ calamitates, nimias ſubſequantur exactiones, paſſim rationibus & exemplis Politici docent. Per eas Provinciæ deſertæ redduntur; & Princeps ſe odioſum atq; inviſum facit, hoſtes conſcribit in propriâ Regione: unde porrò conjurationes exoriri ſolent. *vid Keckerm. 1. pol. c. 21. f. 334. & c. 26. fol. 414. Gregor. Richter. axiom. Polit. 16. & 27. M. Ant. Pitſillium, de Inſtruendo Principe, colore 4. ad fin. f. 68. Heig. part. 1. quæſt. 18. nu. 11. Waremund. de ſubſid. c. 7. n. 35. Nicol. Betſium, d. pact. famil. c. ult. fol. 738. &c. Hippol. à Collib. d. interem. Urb. c. 20.* Regibus qui pro reditu ſumptus metiuntur, bona omnia cedere, amari à Civibus, non metui; Cives ipſos à ſuſpi-

à suspicione novorum munerum levatos, alacres agere, suaq; bona ostentare, ac denique Principis vitam votis suppliciisque expetere : apophthegma fuit Alphonsi, Neapol. Regis. *Panorm lib. 2. n. 16.* Certè ob graviora Imperia Tributorum, dimidium Regni à Judeæ Rege defeciſſe ſcimus. 1. *Reg. 3. cap. 12.* Et ubique occurrunt exempla alia, multarum hanc propter cauſſam exortarum ſeditionum. Hâc de cauſsâ Aquitaniam amiſerunt Angli. *Froiſſart. vol. 1. c. 246.* Tempore Caroli V. Galliarum Regis, eâdem occaſione, totus Occidens fuit in Armis. *Bernard de Girard. tom. 2. de l' hiſtoir. de France, lib. 16. f. 340.* Non deſunt exempla in hoc Ducatu. *Cruſius, annal. 10. part. 3. cap. 4.* De Regibus Galliæ dicitur, quòd ſint Reges beſtiarum, alii hominum; propter impoſitiones & alia onera, quibus Subditos onerare ſolent. *Comina. lib. 5. c. ult. fol. 472.* Sed non omnes Nationes eius ſunt naturæ: nec hoc ſemper æquo animo tulerunt ipſi Galli. In ogni coſa è obligato il Subdito, à deſiderare il Prencipe buono, & à tollerare il reo: altrimenti ſi confonderebbe ad ogni hora lo Stato del Mondo. Non deve però il Prencipe affidato in queſt' obligo de' ſuoi, dimenticarſi del debito ch' egli ha: perche pochi Subditi giungono à ſi perfetto grado d' obbedienza; & tutti hanno queſta ferma credenza, che il ferro, ſia la vera medicina del Prencipe non buono. *Theſoro polit. 1. fol. m. 19. & ſeq.* Contra finem & Politiarum naturam eſt, ſi ita Tributa imperentur ut Servis, omneſque reddantur egeni: nec enim, ubi omnes pauperes ſunt, Civitas conſiſtit. Non vera mihi videtur ſententia Cæſaris Galbæ, qui dicere ſolebat: nullos homines minùs metuendos eſſe, quàm qui de ſolo victu cogitarent. Unde & Dionyſius Siracuſanus, noluit aliquid exigere ab ijs, qui vacui coram exactoribus cantabant. *Plutarch. apophthegmat.* Tandem ſubjungere lubet, aurea verba Bernhardi de Girard, *tom. 2. de l' hiſtoir. de France, lib. 18. fol. 509.* C'eſt mal fait aux gens de robbe longue, qu'ils ne remonſtrent aux Princes l' iniquité & l' in-

l' injuſtice des telles impoſitions. Car les Princes, qui jamais ne ſentent les maux & charges du Peuple, deliberent legerement ce, dont ils ne ſcavent l' importance & conſequence. Mais Dieu a ſon Peuple en ſinguliere affection & recommendation; & ſe peuvent les Princes aſſeurer, que s' ils faiſoient mauvais traictement à leurs ſubjects, Dieu en fairoit la vengeance: & que les Princes ne recoivent jamais punition de Dieu, que pour les grandes oppreſſions, qu' ils font au Peuple. Quò & pertinet quod Nicol. Betſius ſcribit, *d. pact. fam. c. ult. fol. 742. & ſeq.* Machometes Turcarum Imperator, ille qui Conſtantinopolin occupavit; Teſtamento condito, plurimùm ſibi dolere teſtatum reliquit, quòd extra ordinem ſuis Provinciis pecuniam imperaſſet. Hæc Pietas, ait Betſius, ſi in Principe infideli eſt admiranda; quantò magis execranda erit Novorum illorum Politicorum, ex Italiâ redeuntium opinio; qui quâvis fraude Principibus à Subditis pecuniam extorquere, fas licitumque eſſe putant. Machiavelli plerunque præceptis, & exemplis Principum, quorum rationes non capiunt, ad id abutentes.

4. Quin in ſummâ etiam neceſſitate, nihil extra ordinem eſt exigendum; ſi ulla ratio alia pecuniæ conficiendæ haberi poteſt. Sicque Capitolinus, de M. Anton. Philoſopho ſcribit: Quùm ad hoc Bellum omne Ærarium exhauſiſſet, neque in animum induceret ſuum, ut extra ordinem Provincialibus aliquid imponeret; in foro Divi Trajani, auctionem ornamentorum Imperialium fecit. alia exempla habet Arniſæus, *doctr. pol. 2. cap. 5. fol. 559.* Ut & Juris noſtri Interpretes dicunt: quòd neque ſupremi Principes, neque inferiores imponere poſſint Subditis ſuis collectas; niſi concurrant duo: Primum eſt, quòd cauſſa ſit neceſſaria & juſta; Alterum, quòd Dominus ſalvâ dignitate atque Statu ſuo, nequeat ex proprio illi ſuccurrere neceſſitati. Et omnes caſus, quibus Subditi ad contributionem tenentur, intelligendos eſſe, ſi Dominus ex

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [55] - 49

reditibus suis, vel sine notabili deminutione rerum suarum facere non possit; & impotens reperiretur absque suâ culpâ, ad impensas illas faciendum. *Thom. Maullius de Homagio cap. 9. num. 35. & 39.*

III. Lubenter item (2.) in medium aliquid conferunt Subditi; si videant non culpâ Principis, vel prodigalitate, aut luxuriâ, Ærarium antea fuisse exhaustum. *P. Gregor. Tholosan. 3. d. R. cap. 4. num. 2.* (3.) Si statu contenti sint præsenti: & tunc in publico amore, divitiæ Reipublicæ sunt sitæ. Salutare Numen tuum precamur, ut in hâc oblatione, quæ nonnihil superioribus addidit, intelligas hoc esse curatum; ne sub te minus posse videamur: in amorem tuum studia nostra creverunt. Quæ verba sunt Symmachi, 19. *epistol.* 26. ad Theodos. Augustum. Sin verò Imperium Principis sui iniquo animo ferant; non solùm impositiones videntur esse graviores: sed & precariò tantùm is imperare videtur; quandiu hostis tolerabilius jugum illis offert. Quò respicit Salvianus, 5. *de gubernat. Dei. f.* 156. cùm ait: Vna & consentiens illîc Romanæ plebis oratio est, ut liceat eis vitam quam agunt, agere cum Barbaris. Et miramur si non vincantur à nostris partibus Gothi, cum malint apud eos esse, quàm apud nos Romani, &c.

IV. Subditorum etiam ad contribuendum promovet pronam voluntatem; Si (4.) pactum interveniat remissionis; ut tempore elapso se se Princeps obstringat,

ſtringat, Tributa bonâ fide ſublaturum. (5.) Si pollicitationes addantur Privilegiorum concedendorum, aut conſervandorum; Religionis, Libertatis, &c. in vicem recompenſationis. *Bornit. h. lib. 6. cap. 1. ad fin.* (6.) Si Populus videat candidè ſecum agi.

Non ergò Princeps ſub prætextu, falſas & ſimulatas cauſſas prætendere debet. *latè Bornit. h. lib: 8. cap. 3.* Fugienda eſt ars quâ nonnulli utuntur; ut, dum utilitatem vel reparationis Urbium, vel exercitus collectionem proponunt, fingant urgentem neceſſitatem, Populoque excitent metum hoſtis; & poſtea pecuniis exactis, opera imperfecta relinquant, aut pacem conceſſam prætendant. *Petr. Gregor. Tholoſan. 3. d. R. 6. num. 32.* Hûc pertinet quod Ariſtoteles, *2. Oeconom.* refert: Mauſolum Cariæ Tyrannum, ſubornaſſe quoſdam, qui ſtatim polliciti ſunt, ſe eſſe collaturos, & ſummam indicârunt. Quo facto, opulentiores pudore partim, partim metu, plura ſunt polliciti & contribuerunt. cujuſmodi technæ ſi adhibeantur, duplici odio Collationes prægravare ſolent.

V. Porrò non ſolùm neceſſe eſt, Publica neceſſitas ut adſit; ſed & ea publicè Ordinibus eſt approbanda. Nemo enim Principum eſt, ut Cominæus ait: 5. *cap. ult. f.* 472. qui ius habeat vel teruncium exigendi à ſuis, ultra conſtitutum annuum cenſum, niſi Populus aſſentiatur. Imò teneri omnes in Monetâ currente, ſecundum valorem præſentem, ſi is publico conſenſu ſit ſtabilitus, cenſus, penſionéſve annuas, & multò magis extraordinarias recipere contributiones. *v. Nicol. Betſium, d. pact. fam. c. ult. fol. 733. qui eum allegat, & probat.* Quocirca ſi huiuſmodi incidat tempus, ut ne-

cessarium sit onus aliquod extraordinarium ut imponatur; id non nisi re publicè prius deliberatâ, & ipso Populo, vel Ordinibus assentientibus fieri debet. non præcipitanter & pro lubidine ac iactantia Principum quorundam; qui gloriantur, se habere Privilegia potestatemq; quantùm velint exigendi à Populo suo: uti ferunt quendam Galliæ Regem gloriatum, sibi pratum esse aureum, quod metat, quotiescunque ipse velit.

Et sic per capitulationem Electorum Imperii cum electis Imperatoribus, caveri solet; ne fas sit Imperatori absque Statuum consensu, etiam necessitate urgente, vectigalia aut tributa nova imponere vel vetera augere. id quod ex omnibus Recessibus Imperii videre licet, & remissivè docet Buxtorff. *dissert. ad Auream Bullam. th. 91. lit. f.* Idemque similiter in regnis Poloniæ, Hungariæ, Daniæ, Angliæ, frequentari constat; ne scilicet absq; Ordinum consensu tributa imponantur. Sunt & multæ Provinciæ Germaniæ, quæ non nisi ex Ordinum consensu & pacto, ad eiusmodi onera tenentur. **Wañ Chur: vnd Fürsten deß Reichs/ eine Stewr anlegen wöllen/ ist fast allenthalben der Brauch/ daß sie erst einen Landtag derhalben erfordern.** Cuiusmodi Provinciarum Privilegiis & consuetudinibus standum est, neque ex moribus antiquis quicquàm immutandum *post Heigium Maullius, d. homag. c. 9. nu. 119. &c.* Laudantur Hispaniæ Reges, quòd summâ humanitate & moderatione imponant tributa, approbantibus Regni Procuratoribus, Plebistribunis ac Subditis in Comitiis. *Panlador. lib. 1. rer. quotidian. cap. 3. fol. 57.* Quamvis Vasquius referat, Lanarum Vectigal Subditis impositum fuisse, non convocatis Procuratoribus Regni, neque celebratis Comitiis; postea tamen in Comitiis revocatum esse. *lib. 2. §. 17. nu. 102. d. success. creat.* Unde auctor Thesauri Politici, relat. di Spagna. *part. 1. fol. 92.*

fol. 92. ſcribit. Non conſentono i Prencipi, Città, & Popoli, di eſſere con eſtraordinarie impoſitioni aggravati: ma vogliono che l'indulgentie & privilegii ſuoi, li ſiano pienamente oſſervati. Onde l'Imperatore Maſſimiglian Primo d'Auſtria ſolceva dire, che lui era Rè dei Rè, & il Rè di Spagna Rè de gli Huomoni, & il Rè di Francia Rè de gli Aſini, &c. De ſimili Galliæ privilegio Bodinus atteſtatur: *6. d. R. c. 2. n. 656.* & exemplum adfert Froiſſartus. *vol. 1. cap. 155.* Ac de Bleſenſibus Comitiis, ab Henrico III. habitis refertur, au Guidon general de Finances: *part. 1. fol. 196.* Qu'il dit aux deputez des Eſtats, qu'il faiſoit venir l'un apres l'autre, par devers luy; qu'il avoit intention apres que les Eſtats luy auroient accordè ce qui ſeroit neceſſaire pour l'entretenement des deſpenſes de ſa maiſon, & payement de garniſons, qu'il ne feroit aucune levee, des tailles ſur ſon Peuple, ſans le conſentement des Eſtats, &c. meſmes promit, que les deniers ne ſeroient manies par ſes officiers & comptables; ains par ceux, qui à ce ſeroient commis par les Eſtats, &c. Itidem quamvis Ordines Regni Neapolitani, arctiſſimis Legibus, ſub Imperio Regis ſui contineantur: tamen ſi Rex extraordinarium aliquod ſubſidium ab iis exigere habeat neceſſe; ut omnis coactionis ſuſpicio tollatur, & ſuffragia ſint liberiora, Ordines convocari Neapolim ſolent. Quorum in Conventu (non in arce aut palatio Regio, ſed in Monaſterio D. Laurentii habito) Rex ipſe vel eius nomine Prorex, accommodatâ ad rem præſentem oratione; cauſſam & neceſſitatem impulſivam Conventus agendi, petendique extraordinarii ſubſidii, exponere; & deinde quantùm Rex ab Ordinibus exſpectet, declarare ſolet, *& v. Betſium, d. cap. ult. fol. 736.* Sed tamen hæc cum micâ ſalis ſunt intelligenda; non ut in pleno Regno poteſtatem imponendi tributa (quæ Regalibus adſcribitur) Principi adimamus; & mera dona illas collationes eſſe reputemus. Sed ad officium & prudentiam eius hæc accommodamus; quæ ſemper ſtricti juris mitigationem,

ac interdum remissionem suadet. *Keckerm. disp. pract. 34. problem.* 8. Quo fine Oth. Casmannus, *polit. cap. 32. fol. 175.* ait: Si impetrare suadendo poterit Magistratus tributum, satius fuerit: quamvis (ut scitè Tacitus) suasio ab eo qui jubere potest, vim necessitatis adfert. Sin minus, dicat cum Themistocle, super pecuniâ Legato; Duobus se Diis comitatum venire, Suadâ & Violentiâ.

2. Hîc commodè disputari posset, num in Conventibus Imperii Germanico-Romani, maiora vota in caussâ Contributionis, similiúmve rerum, dissentientes obstringant? Certè in negativâ opinione, Mauritium Saxoniæ Electorem jam olim fuisse, patet ex illis quæ scribit Sleidanus, *lib. 24.* Tum etiam nondum est definitum, quæ maiora dicantur? & an ex numero personarum, vel quantitate contributionis (**der Anlag**) ea sint dijudicanda. *quod posterius velle videtur l. 8. d. pactis.* Quâ de quæstione in nuperâ Diætâ Imperiali, abundè disceptatum fuit. *vid.* **die Relation / deß jüngst zu Regenspurg vorgewesnen Reichstags.** *passim.* & hâc de re plura dicere, non ad privatos spectare videtur.

3. Monet etiam Cominæus, *5. c. ult. fol. 473. & seq.* haud durioribus verbis in consensu Ordinum impetrando, utendum esse. Camelus blanditiis, non verberibus provocatur, ut ultra posse laboret. Dos propriedades del Camello, muy semejantes à las que se pueden provar en los vasallos. La una guardar mucho tiempo el mal tratamiento, que ha recibido de su Duenno. La otra, que aunque de su natural no suffre ni mas carga, ni mas camino del que està acostumbrado; solo le haze passar con animo adelante, por cansado que se halle, el canto, y los halagos: que à azotes, y à verdas cazos, no ay remedio. El Pueblo tiene mucho del Natural de ninno, en dexar se llevar à donde quiera, por bien y halagos. *Anton. Perez. in aphorismis. de las segundas cartas. num. 336. &c. fol. 314.* Et debent Subditi primi, gradusque antecedentis, apud Regentem,

tem, in tributo non neceſſario, ignominiam; & in cenſu conficiendo Paupertatis publicæ & privatæ confeſſionem, deprecari. *ex Buchanano, Waremund. d. Subſid. cap. 6. ad fin.* non in gratiam Superioris, vel præmii ſpe, de corio pauperum ludere fraudulenter. Ordines quoque collationem denegare poſſunt; ſi Princeps Bellum non neceſſarium movere velit. Quod probat maſculum Flandrorum reſponſum, Carolo Burgundo, adſumptus Helvetici belli reſtaurandi, Impoſitionem molienti datum. *apud Guil. Paradinum, hiſt. de Bourgogne, lib. ult. fol. 976.* Qu'ils le recognoiſſoient pour leur Prince & naturel Seigneur, & que s'ils le ſentoyent eſtre priſonnier, ou enclos entre ſes ennemis, ils vendroyent tout ce qu'ils avoyent, pour l'en tirer & delivrer: mais pour continuer la guerre, qui ne ſervoit que de deſtruire ſes pais, & ſes voiſins, & d'irriter Dieu contre luy, qu'ils n'eſtoient point deliberez de luy aider, &c. Obſervârunt etiam Luſitani, Bella contra Mauros quoq; ſumptibus Plebis mota, in calamitates ſemper adduxiſſe Regnum: quod Sebaſtiano, nequicquàm inculcatum fuit. *Coneſtag. d. Portug, & Caſtel. conjunct. lib. 1. f. m. 43.* Sed anne Principi, ob prodigalitatem, vel ob denegatam juſtitiam, tributa denegari, & de facto reſiſti poteſt? Quod diſputat Keckerman. *dict. diſp. pract. 34. problem. 13. à princ.* & non eſt huius loci.

VI. Et inſuper, eò quò deſtinata fuit, pecunia à Subditis quæ exigitur, eſt convertenda. *Meteran. Neder. hiſt. lib. 21. fol. m. 76.* Abſit enim à Principibus iſta ſententia, ut quod de communi tributum eſt, in Iure Fiſci eſſe videatur. *Symmach. 1. epiſt. 40.* Et optima cautela eſt, quæ exactiones quàm maxumè reddit gratas; ſi appareat priùs collatam pecuniam, ad deſtinatos uſus inſumptam fuiſſe: Quo fine nonnunquàm Prin-

Principes, Ordinibus vel de pecuniâ exactâ rationem reddunt, vel eam ab Ordinum deputatis administrari permittunt. Iniqua ideo vox est Aulico-politicorum: C'est chose mal seante aux Provinces d' une Monarchie, de s' enquerir des affaires particuliers de son Monarque, & vouloir trouver raison de l' administration d'iceux: ausi les bons Subiects doyvent se repoſer en la bonne affection de leur Prince, & croire que s'ils sont grevez de subsides extraordinaires, ce n' a esté sans grande cause, & urgente necessitè, & par ainsi l'impoſition ne gist an contrerolle de ses subiects, &c. *Secret des Finances en France. 1. ad fin.*

Collationes ad publicos tantùm usus converti debere, exemplum docet Turcarum Imperatoris; qui ex hortis, aliisq; reditibus Aulam sustentat: Indictiones verò extraordinarias, Haran agameni cani vocat, id est, prohibitum sudorem Subditorum; qui non insumitur nisi ad Belli necessarios usus. **Breüning / in der 1. Meerfahrt.** Hoc ni fiat, ac si Magnates ad inanes pompas, Collectâ, intuitu necessitatis publicæ ab indigentibus Subditis impetratâ, abuti velint; sanè omnes maledictiones pervenient ad eos, quæ in S.S. litteris prænunciatæ sunt iis, qui carnem Populi edunt. Nec hoc peccatum ipsis remittetur, si dicent in articulo mortis; Miserere mei Deus. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Nemo putet, inquit, Divus Augustinus, qui rem alienam injustè abstulerit, quam reddere potest, de illo peccato pœnitere & veniam consequi, nisi restituatur ablatum: quamdiu enim res propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest; tamdiu non agitur, sed fingitur pœnitentia. *v. Aegid. Strauchium, quæst. Ethic. cent. 2, dec. 3. quæst. 8. Guil. Perkinſ. d. rect. rat. moriendi, f. m. 120.*

VII. De-

VII. Denique Tributa sunt remittenda, necessitate cessante. Sic enim Iustinianus noster dicit, *in l. 1. C. d. caduc. tollend.* Quod Belli calamitas introduxit, hoc debere pacis lenitatem sopire.

VIII. Opibus iuvare Rempublicam Subditi possunt; si (1.) ad operas adigantur, & otium auferatur: ita ut ipsi alijs vendere, non omnia emere cogantur. Et ideò de hodiernæ Romanæ Vrbis incolis, habetur in Politico Thesauro, *part. 1. fol. m. 34.* quod omnes ferè, vel ære alieno sint onerati, vel paupertate premantur. Secondo che necessariamente conviene essere, dove non vi sia alcuna propria arte, con la quale gli huomini si possano sostentare: percioche quasi tutte le cose che si usano, sono portate da paesi forastieri. Vnde qui à Subditis multùm exigere cupit; necesse habet ipsis facere sustentationis opumque occasionem. Quare in liberis Imperij Civitatibus, licet ferè onera sint graviora, quàm quæ Principes suis Subditis imponunt: & ea tamen æquiori animo ferunt; non solum intuitu communis Libertatis, sed & quia bonis Legibus Mercaturæ, alijsq; rebus ad vitam necessarijs, maiori ferè studio inibi prospectum esse solet.

Hûc confert, si Artificum aliorumque Civium numerus, non ultra vires territorii augeatur. **So die Handwerckher nicht vbersetzt / vnd nicht alle frembde angenommen werden.** Hûc pertinet **verbesserung deß Ackerbaws / Feldstützler / ꝛc.**

IX. Si (2.) exactiones Officialium inhibeantur.

Vnde sapientissimè Henricus Magnus, Galliæ Rex, dicere solebat: On fait payer double taille à mon Peuple; l'une est à moy, & l'autre aux Officiers. La seconde rend la premiere insupportable; car les despens que font les Officiers, montent plus que la taille. Il est difficile d'empescher que ie ne sois desrobè, & presque impossible que mon Peuple ne le soit. *Histoir. de la mort de Henr. 4. fol. m. 60.*

Si promptè Justitia administretur, ac sinon ea quasi veneat sub hastâ: si quæ remunerationis (ne quid gravius dicam) caussâ, Officialibus quandoq; offeruntur, inhibeantur: si quæ in Advocatos & alios litium administros, insumuntur, summariâ causarum expeditione præcidantur; probè Subditorum opulentiæ consuli posse videtur. Sanè auctor du Secret des Finances, *lib. 3. fol. 429. &c.* demonstrat; Multitudinem Judicum, Advocatorum, Procuratorum, plus nocere Galliæ, quam illa plurima Civilia Bella. 50000. homines inutiles inibi esse, qui singuli quotidiè ad minimùm aureum coronatum inutiliter absumant.

X. Si (3.) sumptuarijs, alijsque Legibus similibus, privatorum divitiæ conserventur: si prodigis citò frenum injciatur; & omnibus quibuscunque fieri potest rationibus efficiatur, ne pecunia ad exteros pervenire possit. Quid quæso accederet Ærario, si in id conferretur, in luxum vestitumque, præter necessitatem & honestatem quod prodigitur? Etenim privati quoq; retinere pecuniã debent, non solùm propter amicum, medicum & inimicum, uti vulgò dicitur: sed etiam propter Rempublicam; cuius necessitas omnibus

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [64] - 58

bus alijs semper est anteferenda. Qui Epulis, viscerationibus, ludisve oblectantur, atque in eas res pecuniam profundunt, quæ diei unius memoriam in se continent; hi helluones, non privatæ modò rei, sed publicæ etiam sunt putandi: levis animi Cives, prodigi non pecuniæ tantùm, verum etiam famæ, existimationis, nobilitatisq; suæ. Interest sanè Reipublicæ providere, ne suâ quis re malè utatur: unde & tales coërcendos esse Legibus censeo, ne in res turpes & nullius momenti, pecunias effundant. *Laur. Grimal. d. opt. Senat. lib. 2. fol. 217. & seq.* Sed nimis durum fuit Scitum Lacedæmoniorum; quod voluit, ut uno die debeant Domini, & familia, & iumenta ieiunare, & quantum insumpsissent, si non ieiunaretur, tantum tribuere Samijs exulibus, patriam recuperaturis. *Arist. 2. Oecomic.*

XI. Si (4.) non extra necessitatis casum, Tributorum vinculis, quasi prædonum manibus Respublica stranguletur; ut alicubi loquitur Salvianus, *fol. m.* 103. necessitati sed aliquid reservetur. Et hoc respectu verum est, Constans Imperator quod dicere solebat: Opes publicæ melius à privatis pluribus habentur, quàm intra unius Principis claustrum reservantur. *Eutropius.* Nam si, ut Iuvenalis, *Satyr.* 3. ait, iam modò mercedem pendeat Populo omnis arbor, si Subiectorum sanguis, ad madefacienda insanarum substructionum cæmenta, antè sit insumptus; haut facilè aliquid novæ necessitatis occasione imponi potest.

XII. At non solùm in exigendo, causſa necessitatis adesse; sed & certus hâc in re modus observari, & is ex facultate Subditorum æstimari debet. *Clapmarius, 5. d. Arcan. cap. 14. Bornit. h. 4. c. 3.* Semper autei dicti Principes recordentur; Boni Pastoris est, tondere pecus, non deglubere: quod ad Æmyl. Rectum, Ægypti Præfectum, Tiberius Imperator dixit. *Dion.* Desollar los vasallos, no es otra cosa, que atalar un bosque, que aunque por una vez, se saca un pedaco de mas substancia, de mas socorro; queda el Duennio del bosque, para adelante sin bosque, sin planta. *Ant. Perez, aphor. des las segundas cartas, 356. f. m. 320.* Ex arboribus si fructus ferre velimus, non eæ sunt vastandæ: exscindenda non evellenda est sylva. Odi hortulanum, qui olera radicitùs exscindit.

Hinc Cypselus Corinthius, cùm votum feciſſet Jovi; si Civitate illâ potitus fuiſſet, Corinthiorum se dedicaturum facultates universas: jussit censum deferibi, illis autem professis, decimam bonorum partem abstulit à singulis, de reliquis jussit eos negotiari & rem facere. Anno vertente fecit idem. Evenit itaque, ut annis decem, & ipse haberet omnia bona Corinthiorum, eaque consecraret, & Corinthij interea quærerent, pararentque omnia. *Arist. 2. Oeconom.* Haud ergò, ut cum Plauto loquamur, Magistratus rem aufferat cum pulvisculo. Ne sit illi Ærarium, ut loquitur Plinius, spoliarium Civium, & cruentarum prædarum receptaculum. Ne ita pennas incidat, ut nequeant renasci. Qui nimis emungit, sanguinem elicit. Ne sit Roboamus, & dicat: Pater meus aggravavit jugum vestrum; ego autem addam jugo vestro. Memoriâ tenendum, quod de Anton. Pio scribit Capitolinus: Nec ullo

lætatus

fætatus est lucro, quo Provincialis fuit oppressus. Planè intolerabilis & impia exactio existit, quæ ita excedit laboris fructum, ut rebus ipsis malint cedere possessores; quàm pro illis impositam & taxatam erogationem præstare, aut quæ omnem spem liberalis victus parandi, adimit possessori. *Althus. polit. cap. 11. ad fin.* Qualis fuit illa, quæ sub Justiniano Cæsare imposita dicebatur, ut ait Suidas ἐπιβολὴ, quasi adiectionem dicas; prædiorum pestis improvisa. Fuerunt & huiusmodi Chilperici Franciæ Regis aliquando descriptiones graves & novæ, in omni parte Regni fieri jussæ; statuentes ut possessor de propriâ terrâ, pro quolibet aripento, unam amphoram vini annuatim præberet, & alia multa: ob quæ plures reliquerunt Civitates & res proprias, satius ducentes in aliis Regnis peregrinari, quàm tali periculo subjacere. *Gregor. Turon. lib. 5. hist. Franc.* Non Subditus alere tenetur Dominum, si egeat ipse. *Thom. Maullius, d. homag. cap. 7.* Perditam & planè eversam in perpetuum Provinciam censeo; ubi nihil auditur, nisi imperata ἐπικεφάλια non posse, possessiones omnium venditas, Civitatum gemitus, ploratus; monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis. *Cic. 5. ad Att. epist. 16.* Qualem se Galliæ Nortmannia profitetur: Une uraye Anatomie de corps humain, auquel ne reste plus que les os & le peau, & encore foulez. *Secret des Financ.* *** 5. *b.* Sicut si Nervi nimiùm intentantur, corpus contrahi est necesse: ita quoque Tributa Rempublicam torquent. *Anton. Pitsill. d. instruend. Princip. color. 4. fol. 67.*

2. Modum metiatur Politicus moderamine prudentiæ Civilis; quæ inprimis naturam Regionis, eiusque proventus perpendet. Cynosura esse potest si inspiciamus, an plus exteris suppeditet, quàm ab iis emere cogatur. Haud mirum est, Galliam præ aliis Regnis, tributa æquo animo ferre, cùm & aliis multa vendere possit. Non ha Minere d' oro, ne d' argente; tuttavia non mancano mai dinari in Francia, portati da di-

verse bande, che si servono delle cose di quel paese, perche Portugallo è sempre stato aperto, &c. *Thesoro polit. part. 1. relat. di Francia, f. 179. & seq.* Hoc respectu olim Hybræas ad Antonium dixit: Si vis duas Collectas, da nobis duas Messes. *Plutarch. in vit. Anton.* Non ita Subditorum facultates Princeps exploret, quemadmodum fecit Dionysius Siracusanorum Tyrannus. Qui in egestate pecuniarum constitutus, Tributum Civibus imperavit: Qui cùm sæpè jam se contulisse dicerent, nec amplius quid posse; vim eis adhibendam esse non existimavit. Intermissis verò paucis diebus, mandavit Principibus, ut Anathemata (quibus Æsculapij Templum erat exornatum, quæ multa fuerunt, ex auro & argento confecta) è Fano deportata, quasi profana in Foro proscriberent. Ea summo studio coemebant Siracusii, ita ut magna vis pecuniæ colligeretur. Quibus potitus, Dionysius Edictum proponere jussit: Si quis anathema ad Asculapium pertinens emisset, mox in Templum reportaret, aut pœnam lueret morte. *Polyæn. Stratagem. lib. 5.*

3. Etiam hoc est notandum, quòd Tributa & eiusmodi onera, imponenda sunt Regnis Bello partis. *Matth. 17. vers. 25. & seq. v. Pitsill. de instruend. Princip. colore 4. ad fin.* Non autem propterea Bellum est movendum, ut tales Subditos quæ onera ferant, habeamus. *Paul. Busius, disp. polit. 11. thes. ult.* Quod tamen voluit magnus Poloniæ Cancellarius, eoque fine Polonis Livonicum Bellum suasit. *ut dixi, disp. polit. 1. thes. 34. f. 23.*

XIII. Non solum per extraordinariam collationem, quam vulgò Collectam vocamus, à Subditis aliquid exigitur: sed & antiquissimum, usitatissimumque Ærarij augendi genus est, rebus quæ evehuntur & invehuntur impositum Vectigal. *vid. Petr. Gregor. Tholosan. 3. de Republ. c. 6.*

Vectigal

Vectigal Latini genericè usurpant, pro quovis emolumento, quod expedit Ærario. *Gœddæ. ad l. bonorum. 49. n. 7. & 13. d. V. S.* Interdum opponitur Tributo, & Collectis. Hucque pertinent Portoria vel reditus, qui ex portubus, vel transitu Pontis aut fluminis percipiuntur: *l. si quis pro uxore. ff. d. donat. int. vir. & ux. l. cum inplures. §. vehiculum. ff. locati. l. 3. C. d. vectigal. Gœddæ. ad l. inter publ. n. 8. d. V. S.* & pro reparatione viarum, earumque custodia seu securitate ordinariè ferè solvuntur; ac propriè Vectigalia, à vecturâ denominantur. *Lipsi. 2. d. Magnit. Rom. c. 2. à pr. v. Bornit. h. 4. c. 5.* Quæ necessitatis tempore augentur. Hæcq; Vectigalia etiam Pedagia, vel Pedatica, & Guidagia, item Passagia appellantur. Germanicè Fahrgelt/ Fahrzinß/ Bruckengelt/ Weggelt. Secundò, id quod pro avectione, vel invectione mercium datur. *l. ex præstatione. C. d. vectigal. Bornit. h. 5. cap. 10.* Olim erat vigesima pretij pars, postea facta fuit octava. *Althus, pol. 12. n. 16.* Tertiò vectigal venalium rerum: venalium puta Mancipiorum, pro vino, Vngelt/ Accise/ Gabellæ, fortè à Geben/ & omne quod pro qualibet mercium dependitur negotiatione. Quartò, vectigal Judiciarium, sive eius summæ, de qua litigatur. Quintò, reditus ex Metallis, Salinis, Picariis, cretifodinis, *l. inter. d. V. S.* Sextò vicesima hereditatum, & eorum qui manumittebantur.

XIV. Vectigalia varijs potiùs rebus indici debere, quàm ad Tributa procedatur; putat Arnisæus. *2. pol. cap. 5. fol. 560. & seq.* Quòd unde aliquis lucrum sperat, inde cum gratiâ patiatur aliquid decerpi. Proinde oportet ijs rebus imponi, ex quibus sentitur lucrum. Earum item rerum, quibus Subditi carere non possunt, evectiones sunt levandæ; evectiones è contra rerum quibus Exteri indigent, onerandæ. Minùs enim

nocet

nocet res superfluas non exportari, quàm necessarias non adferri. *Bodin. 6. d. R. c. 2. n. 652. &c.*

Prudenter ita Vectigal est moderandum; ut si fieri potest, rebus exportatis imponatur, & Peregrinos magis quàm Cives oneret. Sicut Turcarum Imperator, ab exteris portu solventibus, rerum exportandarum decimas, & à Subditis vigesimas capit. In Moscovia non permittitur, ut argentum vel aurum exportetur; sed merces saltem, quibus ea terra abundat. *Mercure Francois, part. 1. fol. 316. b.* Quod & alibi usuvenit. Et meritò promdè improbatur Galliæ mos à Bodino, *6. d. Rep. 2. num. 651. &c.* Ubi minimùm quiddam, ac penè nihil Peregrinis pro salario Vectigali, Subditis verò gravissimum imperatur. Et cùm in ipsa Gallia, Salinæ totius Europæ uberrimæ ac præstantissimæ existant; unde Belgæ, Britanni, Dani, sal petere consueverunt: Gallis tamen multò carius emitur, quàm illis; imo ab illis in Imperii Gallicani fines revehitur latenter. At ratio interdum exigere videtur, ut alliciantur Peregrini vectigalium lenitate: cùm nempè salus Emporiorum à promptitudine & copiâ adventantium Peregrinorum pendet. *vid. Keckerm. disp. pract. 34. quæst. 9.* Non etiam merces per suum territorium vectas, gravi nimis tributo onerare Princeps debet: ne istâ ratione gravatos, in se suosque armet. *Busius, disp. poll. 11. th. 32. & seq. & 3. pol. c. 1. n. 6.*

2. Oportere, dixi, Vectigalia iis imponere rebus, ex quibus sentitur lucrum. Et sic Trajanus vigesimam hereditatum, Tributum tolerabile, & facilè duntaxat exteris, domesticis grave: illis irrogavit, his remisit. Videlicet quòd manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, destringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, Sacrorum denique societate meruissent; quæque nunquàm ut aliena speranda, sed ut sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. E contrà ubi largiter, sæpè inopinatò acquiris, quid acerbi aliquid detrahi?

trahi? *Plin. Panegyr. fol. 74. ubi Lipsius.* Quam Legem neque iniquam neque gravem, & idcircò in usum revocandam, post Joh. Sturmium suadet Waremundus, *d. subsid. c. 5. n. 54. &c. & consentit Lipsius d. loc.* Vicinum huic est vectigal hereditatum hominum propriorum; **der Hauptfall**: quod alicubi extenditur ad alios quoque liberæ conditionis.

3. Sic & hodiè vectigal aliquod (**Abzug**) Civis hereditati, in Peregrinitatem, id est, non Civi delatæ detrahitur; & decima ferè pars. Quibusdam item in locis, Subditi cum familiâ aliò commigrantes, de rebus alienatis pariter decimam partem persolvere coguntur (Vectigal migrationis vocant, **Nachsteur**) *Bornitius h. 5. c. 9.* Quod tamen onus in hoc Ducatu singulari privilegio est remissum; eamque immunitatem **den Freyen Zug**/ indigitare solent. ab hisq; decimis liberat Academicos generatim, Ernestus Cothman, *resp. Academ. 19.* Quemadmodum verò antiquior vigesima hereditatum, proximioribus remittebatur; ita & hîc primus esse debet immunitatis ab hereditatis decimâ gradus, ut Liberi in Parentum bonis, huius necessitate solvantur: & item Parentes in bonis liberorum. *Iac. Curtius, tom. 1. conjectur. lib. 1. cap. 51. Andr. Rauchbar. part. 1. quæst. 15. & seqq. multis. Andr. Scheffer, quæst. jur. part. 2. quæst. 10. Maullius d. homag. c. 10. n. 39.* Æquiùs etiam videtur, ut de dote, & vestibus festivis filiarum quæ extra territorium nubunt, illa decima non persolvatur: quicquid dicat Joh. Copus, *decis. 6. n. 6. & seqq. confer Rosenthal. cap. 5. conclus. 34.* Competit verò Magistratui hoc jus etiam in mobilibus, in **der Fahrnuß**/nominibusque: non autem in iis quæ extra territorium defunctus possedit. *Rauchbar. quæst. 17.* Est & hoc receptũ, ut Peregrinus seu alienigena, cui quid legatum est, hanc detractionem in re legatâ admittere; non verò heres eam redimere, integrumque legatum, Legatario præstare teneatur. *Rauchbar. part. 1. quæst. 16.* Hisce Juribus vicinum est Jus Albinagii, in Galliis Regalibus accensitum, *ut dixi disp. 3.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [71] - 65

th. 39. & disp. 11. th. 17. class. 1. vigore cujus Peregrinorum hereditates cedunt Fisco.

4. Est & hoc à Politicis præceptum: ut augeatur Vectigal fabrilium, lanificiorum, sericeorum, ac omnium opificiorum quæ aliundè advehuntur; ut Cives ipsi eadem facere condiscant. Unde ex rationis identitate non est ferendum, materiam crudem è Civitatibus exportari; sed opifices eam prius tractare commodè debent: Cives enim ex rudi materia, in opificia conformata, utilitatem sæpè capiunt maiorem, quàm ex materiæ venditione. Et quoq; mercium evectionem Civibus haut adimere, sed præ exteris permittere debemus: ut ipsi, non alii ex tali negotiatione ditentur. *Bodin. d. c. 2. n. 653. &c.*

XV. Honestissimum quoque reputatur Vectigal, quod ijs imponitur rebus, quæ ad luxum, delitias, pompámve spectant, & mores corrumpunt. *Bodin. 6. d. R. 2. fol. 1034. num. 661. &c. & fol. 1037. n. 663.* Serico potiùs quàm lanæ; cibisque lautioribus, quàm communibus Vectigal imponendum. cùm hæc Paupere s, illa Divites emant: & eiusmodi Vectigalia ad frugalitatem conservandam simul conducant; unde meritò Censoria indigitantur.

Tributum quod imponitur rebus ad quotidianum victum pertinentibus, grave dicitur. Collatio verò gratissima Deo, pulcherrima Civitati, Magistratui honestissima, Plebi utilissima illa censetur; quæ imponitur iis rebus, quæ ad corrumpendos Civium mores, quæ ad delicias, ad luxum, quæ ad libidinem spectant. uti sunt aurea, argenteáve suppellex, pigmenta, innumerabilium vestium ornamenta, pretiosi colores, gemmæ, margaritæ, cupediæ; cæteraque eius generis, quæ quidem prohibenda non sunt, nec si velis possis. *Althus. polit. c. 11, n. 30.* Generale namque est præceptum; quas res

in

in Rempub. inductas, aut evectas nolimus, in iis Vectigal esse augendum, in cæteris minuendum. *Arnisæ. 2. pol. cap. 5. f.* 561. Quod & eleganter explicat Mariana, *3. d. Regis instit. cap. 7. f. 265.* cùm ait: Et alia excogitari ratio potest, ad sublevandam inopiam Provincialium. Merces quibus ad vitam sustentandam Populus opus habet, modico vectigali impositò vendantur: quod ex iis rebus detractum fuerit, ex curiosis mercibus suppleatur; sine quibus humana vita traducitur, & quæ potius ad emollienda corpora, debilitandosque animos magnam vim habent. Sic enim & inopibus consuletur, quorum numerus est magnus, & luxui hominum potentium modus erit. quòd si noluerint sanari, ex eorum amentia, fructum aliquem ad Rempublicam redire erit æquum, &c. Sicque in Belgio, receptum esse Bornitius dicit, *4. cap. 2.* **Daß niemand guldin Stück/ Posament/ Perlen vnd dergleichen trage/ wo er nicht Accis davon gegeben.** Et itidem Belgæ, interdum permittunt Comœdias, & eiusmodi spectacula publicè exhiberi; sed ita, ut cùm Quæstor Comœdorum, stans ab una parte pecuniam pro Comœdis recipit; alius aliquis nomine Reipublicæ stet ab altera parte, qui ab iisdem spectatoribus pecuniam accipiat pro pauperibus: ut simul hâc ratione curiosis hominibus indulgeatur, & publicæ rei consulatur. *Keckerm. 1. polit. c. 22. f. 363. & disp. pract. 34. quæst. 14. f. 724.* Tributa quoq; & Vectigalium genera, quæ ad coërcenda scelera imperantur omninò justissima, utilissima & sanctissima videri debent. Optimo ita jure Princeps Vectigal statuere posset in Ebrios, ac Ebriosis vinum vel cereviſiam vendentes: *Waremund. d. sub. sid. c. 4. n. 43. f. 60.* in eos qui præter dignitatis & ordinis statum, sibi quippiam arrogaverint, ad superbiam & fastum demonstrandum. Hûc pertinent Leges sumptuariæ in Conviviis, & Multæ quæ ex earum violatione capiuntur. Tributum quod imponitur aleæ, illicitisque ludis, Scortationibus, compotationibus, illicitis choreis, &c. *vid. Bornit. h. 4. cap. 6. Keckerm.*

ckerm. d. disput. pract. 34. f. 724. adde Waremund. d. subsid. d. c. 5. n. 64. Quamvis hæc media pertinere videantur ad compendia ordinaria pœnarum multarumque; de quibus jam egi supra, *cap. 3. num. 4.*

XVI. Ob Merces distractas & venditas quod solvitur Vectigal, vulgò Accis, nominatur: & de variis rebus, minutis etiam exigitur, ac in Batavia est frequens. *Bornit. 5. cap. 11.* Sed prudentem considerationem multarum circumstantiarum, eius impositio requirere videtur.

Albanus patrum nostrorum memoriâ, decimam rerum venalium Belgis imperavit: dont l' autheur se vanta avoir trouvè une fontaine pour faire couler l'or gros comme le bras. *Pier. Matthieu, 3. des derniers troubl. f. m. 88. b.* Et hoc tamen tributo, vix ullum gravius esse posse, Bodinus ait: *d. c. 2. fol. 1025. & 1027.* cùm una eademque res, brevi intervallo decies vendi possit; hocque onus Belgium Hispano ademisse videtur. *Emman. Meteran. in der Niderl. Hist. lib. 4. àpr. & passim.* E contrà Italiæ Respublicæ Principesque, hoc uno ferè medio se se sustentant, eorumque ordinarii reditus in iis subsistunt: ut & Vectigaliũ pleraq; ordinariis plerunq; proventibus adnumerantur, nec ad tempus indicuntur. Undè eorum nonnulla, supra ad cap. 3. referri possent. De Roma ait Thesauri Politici Compilator. *part. 1. f. m. 38.* Consiste l' entrata nella Dogana di Roma, & altri Datii sopra il vino, & cavalli, &c. Et alibi (fol. 164.) idem. L' entrate della Città di Venetia, consistono nel Datio del Vino, del Olio, delle Mercantie, &c. *adde* Venediger Herrlichkeit *fol. mihi 255.* Florentiæ (ut quoque ait Thesauri Politici auctor, *part. 1. fol. 276.*) Non v' è cosa, ò portata di fuori, ò fabricata in Fiorenza, che non habbia, come si suol dire, la sua Campanella. Id quod Ferrariæ quoque fieri solet. *dicto loco. fol. 266.* Quæ exempla non sunt imi-

imitanda, & ideò Itali in Galliis, aliisque in locis sunt exosi, tanquàm novarum Exactionum inventores: cùm tamen alia ibi Reipublicæ sit ratio; tam Subditorum quàm Imperantium, & ipsius etiam Regionis ratione. In Galliis grave est Salinarium Vectigal. Et habuerunt Romani olim etiam Vectigalia varia, & iniqua; de quibus accuratè disquirit Jul. Cæsar Bulenger. *d. Tribut. & Vectigal. Populi Romani.* Quorum gravitas videtur Barbaris viam stravisse, ad Imperium illud dissolvendum: ut jam supra docui ex Salviano. *cap. 4. num. 3.* Tandem & hoc debeo monere: nonnullos censere utilius esse, si vectigalia aliis locentur; quàm si Domini per suos ministros exigi ea curent. Ideo de Gallia scribitur in part. 1. Thesauri pol. *f. m. 180.* ha entrata di Datij, & ne haveria anco molto più, se fosse solito li affitare; come si fa in Italia. Eandem ob causam decimarum reditus, quasi sub hasta quotannis vendi solent, aliquibus in locis.

2. Vectigalium novorum concessio, ad solum spectat Imperatorem: *v. Heig. part. 1. quæst. 18. n. 7.* ita ut ab inferioribus sine eius consensu imposita, illicita censeantur. *Rosenth. cap. 5. concluſ. 44. latè Maullius de homag. c. 10. n. 9. &c.* Nova etiam dicuntur, quæ sub colore & prætextu, novi alicuius nominis & juris introducuntur. Auctio namq; veterum & Constitutio novorum, pari passu ambulare censentur. Reichs Absch. *de An. 76.* §. **Weiters seynd auch Wür.** *ibi:* **zu Wasser vnd zu Landt / theils newe Zöll anzustellen / theils alte Zöll zu ersteigern anfangen / vnd dasselb auch zum theil vnderm namen Vngelts / Auffschlages / Bruckengelts oder Weggelts / vnd was deß scheines mehr.** Et dantur Mandata sine clausula de restituendo, **Wann alte Zöll erhöhet / oder newe / ohn verwilligung Keys. Mayest. angerichtet.** *Præjudicia Cameralia, in verb.* Zoll. Attamen ab Imperatore facilè conceduntur, quandò res est angusta domi. *v. Mynsing. cent. 5. obs. 31.* Mirari verò hîc aliquis non immeritò posset, cur Imperij Status Collectam, **ein Landtsteur**, Subditis imponere

queant ex certâ causſa, *ut infra dicam*; Vectigalia verò exigere prohibeantur? Ratio in eo consistere mihi videtur, quòd Vectigalia non Subditos solùm, sed extraneos, & transeuntes etiam concernant: ut ideo Imperatoris auctoritas meritò ibi debeat intervenire. Ergò Vectigalia Vini & similium rerum, jure Regalium instituere Ordinum consensu, Inferioribus etiam Principibus permissum erit: cùm illa prohibitio, Portoria saltem concernere videatur. Quam in rem nunc non inquiro.

XVII. Nonnunquam Magistratus, aliíq; qui publicum aliquo modo Salarium merent, Reipublicæ sunt Vectigales. Sicq; Veneti, in Bello contra Baiazetem Turcorum Imperatorem, ultra alias exactiones; etiam uti Magistratus omnes, mediam *Stipendiorum* partem unius anni Reipublicæ remitterent, Lege latâ introduxerunt. *P. Gregor. Tholos. 3. c. 6. n. 40. & seq.* Imò nonnunquàm vectigalia illicita, atque inhonesta instituuntur (exempla Bornit. *h. lib.* 8. *c.* 1. *&* 2. habet) quos sordidissimos quæstus amant, eorumq; suavissimos odores non nisi Tyranni sentire solent. Quare Tyrannica, ac propè furialis judicatur vox illius Imperatoris; qui rogatus ne nova Vectigalia imponeret vel augeret, respondit: Non tantùm terræ, verum etiam libenter aëri ac vento, imponerem vectigal. Nemo bonus sequi debet Sixtum V. P. M. qui nihil liberum reliquit, quo homo uteretur; unde Pasquillum coegit indusium exponendo Soli exsiccare, priusquàm venderetur etiam cœli lumen: Mi asciugo inanzi che il sole si venda. *Pier. Matthieu. 2. narr. 3. f.* 345.

Sic

Sic inhoneſtum eſt illud Tributum, quod ab ijs qui artes Meretricias profitentur, exigi Romæ conſuevit. *Bodin. d. c. 2. lib. 6. num. 655.* Pariter ut Caligula ex capturis proſtitutarum vectigal inſtituit, quantùm quæque uno concubitu mereret: & poſtea quoque Heliogabalus Lenonum vectigal, & Meretricum & exoletorum exigebat. *v. Waremund. d. ſubſid. c. 4. n. 40.* Sic Veſpaſianus commentus eſt urinæ vectigal. Origo huic Vectigali & cauſſa, quòd in publico amphoræ aut dolia ſtabant ad urinam reddendam: quam fullones deinde vertebant in uſum ſuum. *Lipſ. 2. admirand. c. 6.* Et hoc fuiſſe videtur triſte illud Chryſargyrum, Hiſtorijs decantatum. *v. Tholoſ. 3. d. R. c. 5. n. 9.* Cujus penſio talis fuit; ut quiſque mendicus aut pauper, Meretrix, ſive jam emerita, omnis ſervus, item q; libertus, inferrent in Ærarium, pro urina & ſtercore, jumentorum etiam & canum, ſive in agris, ſive in oppidis habitarent. Et homines quidem utriuſque ſexus, numiſma argenteum; equus, mulus, bos tantundem; aſinus & canis, folles ſex. Abutuntur Regali hoc jure omnes, quæſtum à minutis ac turpibus rebus; item à pauperibus ac mortuis facientes, aut ijs qui Nuptias celebrant, vel liberos procreant. Unde non rectè Hippias Athenienſis, Sacerdoti Minervæ, quæ in arce conſecrata erat præcepit; de unoquoque mortuo afferri hordei Sextarios duos, ac tantundem ab ijs qui ſobole eſſent aucti. *Ariſt. 2. Oeconom.* & proinde Italicas carpit exactiones Kirchnerus, *diſp. d. R. 18. th. 2. lit. a.* quæ ratione Matrimonij & Dotis ſolvuntur. Talis eſt & illa, quam Boerius adducit, *deciſ. 363.* cujuſdam Epiſcopi Galliæ, qui aliquot millia aureorum colligebat quotannis ab illis, qui ductis uxoribus, biduo aut triduo, poſt benedictionē nuptialem (*uti vult. can. aliter. 30. quæſt. 5.*) abſtinere novâ coſtâ nollent. Intolerabile etiam videtur vectigal, ex bonis Pupillorum, quamvis in Anglia jam diu uſitatum, & habitum pro regali. *P. Gregor. Tholoſ. 3. d. R. c. 2. num. 6. ac ult. & dixi diſp. pol. 3. th. 43. claſſ. 1.*

XVIII. Sed

XVIII. Sed & impositio Collectarum seu extraordinariarum impositionum, prudentiâ Politicâ, indigere censetur. Sic magis probatur illa Collecta, ubi non capita seu personæ; sed bona Subditorum æstimantur, ut loquitur Boterus. Ex quo Bodinus etiam, illa Vectigalia probari dicit, quæ in omnes Ordines ex censu, seu pro singulorum facultatibus exiguntur. *d.c.2. num. 661. f. 1033.* Hæc (ubi scil. Bona æstimantur) Iugatio; illa Capitatio, à Capitibus quibus imponi solet, indigitatur.

Omnis circa Tributa iniquitas evitatur, si omnes ex æquo censeantur; & ex Censu, contributio æqualiter fiat, pro ratione, portione & quantitate Bonorum, quæ quisque possidet. *Arnisæ doctr. polit. 1. cap. 16. fol. 390. & 2. c. 5. fol. 558.* In hocque commendat Florus, *lib. 1. c. 6.* Servij censum; quòd, cùm Patrimoniorum discrimina in tabulas retulerit, singulis certa imperaverit tributa: cùm antea æqualiter omnes conferrent. Non debet unus, vel una pars, puta Plebs, Civitas, vel Provincia aliqua præ cæteris gravari; sed debent omnes Nobiles & ignobiles, Divites & inopes, pro modo facultatum æqualiter onerari: si commodum erit commune, onus etiam sit commue. *Maullius d. homag. c. 9. n. 128. &c.* Unde Diocletianus & Maxim. *l. 3. C. d. ann. & trib. ind.* vetant quenquàm ultra rerum possessarum modum gravari.

2. Nec porrò æquum videtur, ut qui solùm immobilia possident, contribure cogantur: sed & Mercaturæ, reditibus annuis, omnibusque rebus, ex quibus utilitas capi potest, ea imponatur. Venediger Herrlichkeit. *fol. m. 256.* Quò respicit Bodinus, cùm ait. *d. c. 2. num. 663.* Qui suâ industriâ sibi opes ac pecuniarum vim maxumam coegerunt, à Tributis immunes esse non oportet; dum adversus tenues id fiat modicè,

dicè, vel etiam intra modum, ne bonis artibus & induſtriæ bellum indici videatur. Potiſſimùm verò cum Aratoribus, qui alienos agros colere, non ſuos conſueverunt (vel quorũ bona ſunt ære alieno gravata) mitius agi debet. Nec ad miſeros aratores, & opifices omne Tributorum genus eſt protrudendum: nocet ſæpe ſi ad imbecilliora, ſed tamen neceſſaria corporis membra, vitioſi omnes defluant humores. *Althus. cap. 11. num. 35.* Unde æquiùs eſt, ut creditor ſolvat collectas & tributa de Pecuniâ, ſub uſura mutuò datâ: ut oſtendit Rauchbar. *part. 1. quæſt. 18.* Et inde rurſus infertur; Creditori imponi non injuſtè Collectas, etiamſi alteri in aliâ Regione habitanti mutuò pecuniam dederit; ſi ex mutuo lucrum ſentit. *Waremund. d. ſubſid. cap. 14. num. 10.* Pretioſæ etiam ſupellectili collecta imponi poteſt, ut eò minus oneris perveniat ad Plebem. Catonis exemplo: de quo Livius, *lib. 39.* ait; In cenſibus capiendis, aſperâ in omnes Cenſurâ fuiſſe: ornamenta, veſtem muliebrem, & vehicula, quæ pluris quàm quindecim æris millium fuiſſent, in Cenſum referre Viatores juſſiſſe. item mancipia minora annis viginti, quæ poſt proximum luſtrum decem millibus æris, aut eò pluris veniſſent; uti quoque decies pluris, quàm quanti eſſent æſtimarentur. Ad eum finem, & ut æqualiter collationes imponantur, Adæratio fuit inventa, neceſſarium etiam requiſitum Collationis. de qua Althus. *cap. 11. num. 33. &c.* multa, & ego infrà, ubi de Cenſu, plura dicam.

3. Jugatio eſt Contributio extraordinaria, pro Magnitudine, numero, & qualitate poſſeſſionum & jugerum impoſita, ac indicta: ut qui plura prædia poſſidet & habet, plus conferat & contribuat ad publicas neceſſitates incidentes. Quæ etiam contributio vocatur per æs & libram. *Natta conſil. 215. vol. 1. Gail. 2. obſ. 5. n. 16.* Capitatio, quæ Græcis ἐπικεφάλιον, eſt; quæ viritim in ſingula perſonarum capita (quæ numerantur) non inſpectâ Patrimonij quantitate, conſtituitur: vocatur etiam illatio capitalis. *tot. tit. C. d. capit. civ. eximend.*

mend. lib. 11. Et interdum non libera tantùm hominum, seu Civium capita; sed etiam Servorum, imò & fœminarum atque etiam singularum bestiarum capita censentur. *Althus. polit. 13. n. 9. &c. Bornit. h. lib. 6. c. 2.* De æquitate huius Tributi differit Lipsius; 2. *admirand. c. 3.* qui iniquum ferè putat, si uniforme in omnia capita indicatur. Alia fuit annonaria capitatio, possessoribus agrorum, pro jugerum & capitum quibus colùntur & arantur numero, indicta. *l. 1. C. Theod. d. imponend. lucrativa.* quæ ferè cum jugatione convenire videtur. Vide etiam rationem Capitationis aliam, habitâ redituum ratione, apud Froissart. *tom. 1. cap. 155.*

XIX. Vsa interdùm est & hoc temperamento in Collectâ exigendâ, potentissima Belgij Respublica; ut in collectis extraordinarijs, ab ijs, quorum Patrimonium ad mediocrem pecuniæ summam non perveniebat, nihil exigeretur. *teste Meterano.* Semper enim locupletiores plurimùm, tenuiores minimùm gravari debent. *Busius, disp. 11. th. 31.* hâc quippè ratione seditiones prohiberi possunt, quas nonnunquàm exactiones graviores concitare solent. Plures enim pauperes sunt; qui si non graventur, cogere locupletes possunt. Consultum etiam esse videtur, ut cùm Vasallorum, mediatorumq; Nobilium Subditi, collectantur; ab ipso territorij Domino immediatè, non à Nobilibus illa contributio exigatur. Hoc quippe ni fiat, sæpe plus commodi exactores, quam ipsi percipiunt Collectores. *Althus. pol. 13. sub n. 10.*

XX. Levis etiam Collatio censetur, quæ paulatim fit & per partes, distinctis diversisq; temporibus:

id

id quod valdè ſublevat tenuiores. Levis itidem & illa cenſetur; quæ à benignis, humanis, & æquis Exactoribus exigitur, *ſecundum l. 33. d. uſur. Althus. pol.* II. *ad fin. Keckerm. lib. 3. cap. 1. fol. 334.* Et tandem Collecta illa æquiori animo fertur, à quâ nemo eſt immunis. *Tholoſan. 3. d. R. ult. num. fin. Keckerm. diſp. pract. 34. quæſt.* II.

Tota immunitatis ratio, ſita eſt in prudentia Legiſlatoris. Cuius enim eſt imponere Collationem; ejuſdem quoque eſt, perſonas & res, à Vectigalibus, collationibuſque eximere. *Bornit. h. lib. 4. c. 2.* Attamen odioſa immunitas cenſetur: ut minimè mirum ſit, cur tit. 25. lib. 10. C. inſcriptus ſit, de immunitate nemini concedenda. Immunem Cives odere ſui. Beneficium quibuſdam datum, Plebis injuria exiſtit. Omnium perſonarum, in publicis functionibus, æqua inſpectio eſſe debet: ne dum aliorum compendia ſublevantur, aliorum rationibus incommodetur. *Guil. Forner. 1. ſelect. c. 20.* Graviter Salvianus, *lib. 4. f. 104.* Ecce remedia pridem nonnullis Urbibus data, quid aliud egerunt; quàm ut divites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent. Unde advertimus, quòd nihil eſſe & divitibus ſceleratius poteſt, qui remedijs ſuis pauperes perimunt; & nihil Pauperibus infelicius, quos etiam illa, quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt. Et idem *lib. 5.* Illud indignius ac pœnalius, quod omnium onus non omnes ſuſtinent; imò quod pauperculos homines, tributa divitum premunt, & infirmiores ferunt ſarcinas fortiorum. Plus multò eſt quod dicturus ſum: Adjectiones tributarias ipſi interdum Divites faciunt, pro quibus Pauperes ſolvunt. Decernunt potentes, quod ſolvant Pauperes: decernit gratia Divitum, quod perdat turbam miſerorum. Ipſi enim in nullo ſentiunt quod decernunt. *& catera quæ ibi legi poſſunt.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1 Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [81] - 75

possunt. Multa quoque contra irrationalem immunitatem habet Bodinus, *d. c. 2. libri 6. d. R. num. 660.* Nobiles jam olim facti sunt immunes à collectis, & alijs oneribus, ubique ferè locorum: *Waremund. d. subsid. c. 4. n. 66.* contra quod tamen disputat Maullius, *d. homag. 9. num. 67. &c.* qui ibidem, perperam cum primis ea Bona quæ à Subditis emunt, à Nobilibus libera possideri; & eâ ratione onera Subditorum aliorum, contra æquitatem aggravari, ait. Hanc immunitatem propterea acquisivit Equestris ordo, quia onera olim Belli portavit ille solus; nemo nisi Nobilis militabat. Inde non honestum esse, Sebastiano Regi Lusitaniæ Nobiles replicabant; *apud Conestag. lib. 1. f. m. 43.* ut illi, quorum majores in Regno acquirendo Reges juvissent, Censibus & Tributis, quæ ad Bellum conferuntur obnoxij essent. Nunc etiam Belli gerendi onus, recidit à Nobilibus ad plebem. Libertate fruuntur hâc in parte Litterati, *v. Heigium, part. 1. quæst. 17. n. 18. &c.* Sed qui scientiæ amore exules, & opum contemptores: non qui magnas divitias corradunt. Clerici etiam hîc Privilegium habent: de quo latè, an scil. & quando ij collectari queant, disputant Petr. Gregor. Tholos. 3. *d. R. c. 7. per tot.* Waremundus, *de subsid. c. 12. per tot.* Maullius, *c. 9. n. 52. &c.* Sed id meruit eorum paupertas, & puritas Ecclesiæ primitivæ. Concludamus ergò cum Justiniano: *Novell. 43. §. 3. vers. porrò.* Si minutatim, & pariter in omnes vectigalia distribuantur: non solùm paululum erit quod præstitum fuerit; sed etiam tantò moderatius, levius, tolerabilius, faciliúsve quod confertur, existet, quantò à pluribus colligitur, &c. Plura de immunitatis concessione & præscriptione Maullius habet. *d. cap. 9. num. 69. &c.*

CAP. V.

NVnc in campos Iuridicos exspatiari lubet, & unam atque alteram, ex materiâ collectarum examinare quæ-

quæſtionem. Et primò quidem illam: An Princeps Vaſalli ſui, in Feudali territorio habitantes Subditos, collectis Provincialibus onerare poſsit? Negare videtur Iacobus de S. Georg. *in tr. homagiorum. n. 36.* ut & Chaſſanæus, *in Conſuet. Burgund. rubr. 1. §. 4. verſ. en haute Iuſtice.* Aliter ſentiunt Rudingerus, *controverſ. Feudal. 2. c. 28. per tot.* Thomatus, *de Collectis. fol. 398. num. 8.* Ego Bona Feudalia, quæ de Territorio ſunt Principis; ab iis quæ Principi iure ſuperioritatis non ſimul ſunt devincta, ſeparārem.

II. Anné verò Princeps ab ipſo Vaſallo, extraordinarias collationes, ab Imperatore & Imperij Statibus publicè decretas, vel etiam eas, quas vulgò **Landtſteuren** appellamus, exigere poteſt? Ita ſentit Hartman. Piſtor. *1. quæſt. 46. num. 33.* Modeſt. Piſtoris, *conſil. 5. num. 5. &c.* Gilhauſen, *in arb. judic. civil. part. 1. d. Iuriſd. cap. 1. num. 4.* Heigius. *1. quæſt. 18. n. 23. & multis ſeqq.* addatur & Iacob. de S. Georg. *tract. d. homag. gloſſ. 1. nu. 36.* VVeſembec. *tract. feud. cap. 10. n. 18.* Sed noſtro animo magis arridet diſsidentium opinatio. Clarus. *§. feudum. quæſt. 29. num. 2.* Knichen. *d. inveſt. pact. 2. cap. 5. num. 26.* Schrader. *d. feud. part. 10. ſect. 5. n. 115. &c.* Roſenth. *cap. 5. concluſ. 78. n. 2. &c.* Cothman. *conſil. 11. nu. 32.* Caſp. Klocke *in diſput. Baſile. d. collect. theſ. 37.* Mynſing. *decad. 15. Reſponſ. 1.* Quæ ſanè ſententia, evidenti confirmatur ratione;

nam cùm Vasallus, ad servitia personalia Domino præstanda, sit obligatus; ipse ulteriùs collectis, vel aliis oneribus gravari nequit: ne duplici munere onere-tur; quod rationi & legibus repugnat. modò non simul Subditus existat.

III. Collectæ, quas **Landtsteuren** indigitamus, partim personalia, partim patrimonialia, & sic mixta onera sunt; quæ personis principaliter propter res, & possessiones, pro earumq; proportione indicuntur: & quæ non habent certam ac determinatam præstationem; sed ex voluntate Superioris, ob necessitatem supervenientem variantur. *Gail. 2. obs. 52. num. 9. & seq. Heigius, part. 1. quæst. 17. n. 28. &c. Althus. polit. c. 13. à pr.* Forensibus ergò, & non Subditis, imponi haut possunt: bona etsi possideant immobilia eo in loco, ubi solvenda est Collecta. *Natta. cons. 160. nu. 7. Græ-væus, 2. concluf. 52. n. 13. &c. Rosenthal. de Feud. cap. 5. concluf. 80. Maullius, d. homag. 9. n. 40. &c.* Quin & liberum non est territorij Domino; quam velit imponere Collectam, soli nempè aut possessionis, ut eam etiam Forenses præstare teneantur. *Post Castr. Mynsing. decad. 7. Respons. 64. num. 50. per Leg. ne in potesta-te. ff. d. Arbitr. & l. 2. §. sed si. ff. d. Iudic.*

Quibusdam tamen in casibus, Forenses pro bonis in territorio sitis, ibidem collectari possunt: puta, pro refectione Pontium, pro custodia & securitate loci; si nempè talis custodia, & refectio, concernat quoque utilitatem ipsarum possessionum.

sionum. *Gail. Rosenthal. & Grævaus supra dicto loc.* Sic ad maritandam filiam Domini quæ imponitur Collecta, Subditis tantum imponi potest: ea verò, quæ propter hostium exigitur incursionem; commodum quia soli immediatè spectat, Forenses quoque innodat. Unde non improbandus est eorum Ordinum conatus, qui extraneorum redditus & bona, suo quoque modo impositionibus obnoxia reddere nituntur.

Sed hoc vix fit sine incommodo & injuriâ Subditorum. Unde apud Navarrenos, Rex cùm inauguratur, inter alia jurat; se non nisi unâ vice Numum mutaturum. *Histoir. de Navarre. à princ.* Et judicant sic prudentissimi quique Viri, magnarum mutationum in Rebusp ublicis præsagia esse, insolitam istam Monetæ mutationem, & augmentationem, quæ hodiè animadvertitur. *Keckerm. 1. Polit. cap. 21. fol. 330.* Nicolaus Oresmius, & Gabriel etiam Biel, de origine & potestate, nec non de mutatione Monetarum, singulares scripserunt tractatus; à Marq. Frehero, suo de re Monetaria discursui adnexos: ubi illud dubium proponitur; An Princeps possit habere lucrum ex Monetâ, constituendo majorem ejus valorem, quàm reverâ materia valet? Et respondent; quòd in uno tantum casu Princeps possit quærere lucrum ex Monetâ: nempè quando subsidio pro defensione Reipublicæ eget. Hâcque etiam de re, graviter & operosè disputat Joh. Mariana, 3. *de Regis*

gis inst. cap. 8. Turpius esse videtur, quòd alicubi Jus Numi cudendi transfertur etiam ad Privatos, titulo emptionis; **Daß man die Stempffel verkaufft.** Nihil sanè in Republicâ magis pernitiosum esse puto; quàm quod Subditis incommodum adfert, nec magno aliquo emolumento Rempublicam beat.

II. Hûc sub Vsura & Fœnore pecunia mutuò sumpta referri debet: quæ subitis periculis præsidio esse potest. Bodinus sanè, commodiùs esse ait, *6. de Rep. 2. num. 654.* mutuas à Subditis accipere pecunias, quàm illos tributis onerare. Sic & Scotiæ proceres, fugato Bothuellio, cùm exinaniti essent Regij Thesauri; impendium ad reliquias Belli conficiendas, potiùs mutuò sumpserunt, quàm indicerent Tributum. *Buchanan. rer. Scotic. lib. 29.* Quod & Romanos Bello Punico feciſſe, Livius narrat: ne Tributis onerati Socij deficerent; ut Carthaginensibus acciderat primo Bello. *Polyb. lib. 1.* Et tamen alibi itidem Bodinus, *d. cap. num. 665.* scribit; Eos qui Pecuniam sub Vsuris Reipublicæ nomine accipiunt, Ærarij ac Civitatis moliri eversionem: quod intelligo de casu, ubi summa necessitas haut urget. Quo respectu idem, *num. 670.* dicit: Pernitiosiùs nihil esse, quàm si Principes à Fœnore, vel mutuo Bellum auspicantur. Quæ omnia pius prudensque Politicus dijudicabit.

Sunt Respublicæ nonnullæ magno ære alieno obrutæ: Venetijs tres sunt Montes (ita nominant onera pecuniæ mutuo sumptæ) Inibique tempore Bellorum, cursus sistitur Vsurarum.

rarum. Venediger Herrlikheit. *fol. 256. & 258. &c.* Ipsum S. Petri Patrimonium, oneri hypothecæ multiplicis est oneratum: quamvis de Papa vulgò dicatur; Che non lui manca no mai danari, quando non manca la mano, & la penna. *Thesoro polit. part. 1. fol. 31.* Henricus II. Galliæ Rex, moriens plura debebat, quam sui majores annis quadraginta à Subditis exegissent. Carolus V. Imperator, ejusq; filius Philippus, debita multò graviora contraxerunt. Quod omne vitio Usurarum accidisse Bodinus refert. *d. c. 2. num. 667.* Nunquàm ergò (nisi extrema necessitas urget) Mutuum ad Usuras extraordinarias est sumendum. *Bornitius, h. lib. 7. c. 2. quem vide.* Hûc pertinent Pontificum Maximorum impij Montes. In quos pecuniam ut multi passim collocent, non lucri solùm spe certissimâ; sed & quàm plurimis præterea Privilegiis invitantur. Indè fit, ut quas quis infimæ sortis corradere potest, sivè justè, sivè injustè pecunias alicundè; ad Montes illos confugiat, & reditus sibi comparet, ut reliquum vitæ tempus sine labore transigat. Scorta etiam indè plurima splendent & ornantur, fructus Beneficiorum, impunè eò transferuntur, & in illegitimos filios, juxta Privilegium expenduntur: quod nec ipsi Catholico-Romani adprobare possunt. *Petr. Gregor. Tholos. d. R. libr. 13. cap. 16. num. 10. & multis seqq. Adde tractatum Germanicum, hâc de re singularem, Argentinæ impressum; cuius Titulus, Montes Pietatis Romanenses.* l' Monti sono di due nature, ò vacabili per morte, & questi rispondono dodeci per cento l' anno; ò che passano ad heredi, che rispondono sette, & sette è mezo. ait Thesauri Polit. compilator. *part. 1. Relat. di Roma. fol. 39.* Veneti, ijs qui in publicis necessitatibus Reipublicæ pecuniam præstant, hunc tribuunt honorem; ut possint numero eorum Senatorum interesse, quos nominant Pregati. Venediger Herrlikheit. *fol. 137.* Astutè Eumenes, ab ijs qui suspecti ipsi erant, pecuniæ magnam summam mutuò sumpsit, ut eò magis illos sibi devinciret: si

non

non ſortem amittere vellent. *Plutarch. in vita.* Et ſic in Galliâ Franciſcus I. ſuaſu Turnonij Cardinalis, Anno 1543. pecunias moderato fœnore accepit; hâcque ratione Italorum ac Germanorum opes brevi ſe cogere, hoſtibuſque eripere poſſe putavit; irrito planè ſuiſque damnoſo eventu. *Bodin. d. c. 2. num. 666.*

2. Quamvis regulariter nemo contrahere, aut mutuum dare, compelli queat: Princeps tamen vel Reſpublica, interdum auctoritate ſuâ Mutuum à Subditis opulentioribus, etiam abſque Uſuris, exigere poteſt; urgente Reipublicæ ſalute. *Bornit. h. lib. 7. c. 1.* Malè autem & iniquè Vitellius fecit: Qui poſtquàm ære alieno admodùm obſtrictus, Principatum fuerat adeptus, requiſitis creditoribus dicebat; ſeſe ſalutem pro pecuniâ reddidiſſe, & Tabulas contractuum repoſcebat. *Dio. in hiſt. Rom.* Poteſt etiam Subditis ditioribus injungi; ut ſemper in promptu pecuniæ aliquam habeant ſummam, quâ ſubidis periculis occurratur. Tutiſſimi id Ærarij loco eſſe poteſt, nec Uſuris Rempublicam gravat. Et ſic ſinguli Athenienſes decimam rerum ſuarum ſeu Patrimonij ſui partem, ad ſumptus bellicos ſepoſuerunt. *Diog. Laërt. in Solon. Petr. Perrenon. 2. animadverſ. c. 28.* Dionyſius Siracuſanorum Tyrannus, in pecuniæ inopiâ, profeſſione apud ſe deſcribi juſſit pecunias familiarum, quæcunque eſſent Parentibus orbæ. Quo facto ipſe pecunijs illis uſus fuit, donec ſinguli in ſuam tutelam veniſſent. *Ariſtot. 2. Oeconomic.* Epheſij Legem tulerunt, cùm pecuniâ indigerent; Non licere, ut Mulieres aurum geſtarent, quicquid eo tempore auri haberent, ut id commodarent Civitati. *Ariſt. ibid.* Ita & Chabrias Athenienſis, Tao Ægyptiorum Regi ſuaſit; ut juberet quod quiſque argenti atque auri non ſignati haberet, id ad ſe afferret. Cùmque eſſet allatum, ſuaſit idem; Rex eo ut uteretur, & eos qui mutuò dediſſent, commendaret Navarchis, qui debita perſolverent ex tributis. *Ariſt. d. lib. 2. Oeconom.* Cum Annibal Italiam qua-

teret, Urbemque ipsam obsideret, Patres in Senatu, sic disseruerunt: Omne argentum, aurum, æs signatum, ad Triumviros Mensarios deferamus, nullo antè Senatusconsulto facto; ut voluntaria oblatio & certamen adjuvandæ Reipublicæ, excitet ad æmulandum animos, primùm Equestris Ordinis, ac deindè reliquæ Plebis. Sed partâ victoriâ, & fractis Carthaginensibus, Senatus mutuam pecuniam, singulis bonâ fide reddendam esse decrevit. *Bodin. d. c. 2. num. 654. Bornit. h. lib. 2. c. 8. & lib. 6. c. 6.* Hoc quippè ni fiat, nescio quid iniquius excogitari queat. Idem de Venetis Bembus refert, *lib. 7. & 10. hist. Venet.* Quòd nempè in Bello contra Julium II. pecuniâ indigui, statuerint per Senatum, ut intra 25. dies, qui argentum aurumvé cælatum haberent, ad Duumviros adferrent Numis cudendis; id eis aurum, argentumvé, cum lucro decimæ partis accepto ferendum: qui non tulissent, eorum bona venderentur.

III. In extremâ necessitate, ad distractionem alicuius portionis de territorio pervenitur: cùm & eo in casu, profanare liceat res Sacras. *Bornit. h. 2. c. ult.* Et tamen si pars aliqua Territorij est alienanda, studendum erit maximè, ut pactum de retrovendendo adnectatur; vel alij usurpentur modi, qui firmam & perpetuam impediunt alienationem, ac bona vendita, quandoque recuperari ut queant, efficiunt. *Auctor Consilij (quem Dominum Georg. Obrechtum esse ferunt)* **Welcher massen ein Standt deß Reichs / sein Gefell vnd Einkommen verbessern möge.**

Distractio vel alienatio alicujus partis territorij, vel Publicorum prædiorum, nec ab absoluto Principe, sine assensu Ordinum suscipitur ritè: cùm hoc ad Majestatem spectet realem,

lem: *Hotoman. illustr. quæst. 1. Dn. D. Harpprecht. ad proëm. Inst. num. 45. &c. Bornit. hîc. lib. 2. cap. 9. & dixi tr. d. Appellat. cap. 2. sect. 16. ut & disp. pol. 2. th. 6. class. 1. disp. ult. th. 27. class. 2.* & in præjudicium fiat eorum qui ita distrahuntur. *Heigius, part. 1. quæst. 19. Pruckman. tr. d. Regalibus. §. solutapotestas. membr. 2. quarti cap. effectu. 6. fol. m. 457. &c.* Ex hoc fundamento Donationes Constantini Magni, Ludovici aliorumque Cæsarum impugnantur. *Girard. lib. 4. fol. 391. Wolfius lect. memorabil. centenar. 4. fol. 103.* Sicque ob id Madricense Fœdus inter Carolum V. & Franciscum I. ruptum fuit; quòd contra Jus omnium Gentium commune, contraque Imperij Gallicani Leges, Carolus Burgundiæ ac Belgiæ Dominatu Regem sine Senatus ac Populi Gallici consensu, cedere coëgisset. *Mart. in du Bellay. lib. 3. des memoir. fol. m. 223. & seq.* Quâ eâdem ex causâ, multæ in Gallijs Provinciæ Anglis ademptæ fuerunt, quas ipsis dederat Johannes Franco-Galliæ Rex in Anglia captivus. *Froissart, tom. 1. cap. 201. 214. ac 246. & v. eund. cap. 310. ad fin. Guil. Paradin. lib. 2. del' hist. de Lyon. 2. cap. 62. Girard. lib. 15. fol. 217. lib. 16. f. 282. &c. tom. 2.* Nec alio jure alij Populi utuntur: *Bodin. 6. d. Republ. cap. 2. num. 640.* & nempè Fundamentalibus plerunque Legibus est cautum, ne sine Statuum consilio vel assensu, vel alienatione diminuatur, vel hypothecæ onere Provinciæ prægraventur.

2. De Galliæ Regibus scribit Bodinus, *d. c. 2. num. 641.* Non defuerunt, qui Principes ad prædiorum aliorumque locorum publicorum impellerent venditionem, quasi quæstum uberiorem facturi: quæ sententia Tyrannidem ac Reipublicæ perniciem molitur. Hoc verò iniquius esse, ait; quòd quas pecunias ex venditionibus imperiti Principes cogunt, non fœnerantur utilitatis publicæ causâ: sed fædissimis ac turpissimis hominibus ferè largiuntur. In primis nullo unquàm tempore vendenda sunt ea Bona atque jura, quæ tuendæ conservandæque Reipublicæ sunt destinata: item Pascua Civitatum, atq;

Rusticorum, quibus tenues sustentantur. Hæc enim omnia, nullâ ratione vendi debent; quia vendita, & Rempublicam & Subditos perdunt. *Dn. Obrecht. d. loco.* Cautio etiam hæc adhiberi posset: ut prædia vel jura ad Rempublicam spectantia, potius pretio dato in Feudum, Superioritate retentâ, concedantur, quàm prorsus alienentur. *Bornit. h. 2. c. 7.* Et item, ut non alijs quàm Subditis vendantur; ne simul Jurisdictioni & Imperio Principis subtrahantur. Vendantur ergo Subditis immunitates & privilegia, liberentur ij pretio dato oneribus ijs, quæ illis gravia, Principibus non multùm prodesse solent, nec Concivium onera augent. Et sic Byzantij in pecuniæ penuriâ Publicos lucos, & loca Sacra vendiderunt. Fructuosa quidem ad certum tempus, sed infructuosa ad perpetuam proprietatem. Itemque ea quæ Sodalitates possidebant, & quæ ad Sacra Gentilitia pertinebant; cum alia, tum in agris privatis sita. Nam hæc magno emebant ij, quorum reliqua possessio erat. *Arist. 2. Oeconom.* Sic Anno 1604. in Gallijs Edictum Regium publicatum esse, notat, & improbat tamen Waremundus *d. Subsid. cap. 6. num. 20.* Immunitatem atque exemptionem ab omnibus oneribus publicis continens ac promittens, quicunque certam summam deposuerint in Fiscum. hocque modo promisit Regi Mons. de Rhosni, Financiarum Magister; se Populo paucorum annorum spatio, Tributum Regno æquivalens extorsurum. Verùm pecuniæ conficiendæ, ac fidei liberandæ commodissimam rationem, Bodinus esse putat, *d. cap. 2. n. 654.* cujus etiam Livius facit mentionem, cùm ait: Frequentes, quibus ex pecuniâ quàm M. Valerio & Claudio Coss. mutuam dederant, tertia pensio deberetur, adierunt Senatum. Cùm privati æquum postularent, nec esset Respublica solvendo; quod medium inter æquum & utile, decreverunt: ut quoniam magna pars eorum, agros venales esse diceret, & sibi emptis opus esse, agri publici ijs copia fieret. Consules agrum æstimaturos, & in jugera asses vectigales, testandi

ſtandi cauſsâ Publicum agrum eſſe, impoſituros; ut ſi quis cum ſolvere poſſet, pecuniam habere quàm agrum mallet, reſtitueret agrum Populo, &c. Ita & non improbandum eſſe morem pecuniæ exquirendæ, autumat Petr. Gregor. Tholoſanus, 3. *d. R. c. 6. num.* 8. ut qui abundant ſpe futuræ dignitatis, illiciantur ad voluntariam contributionem. Sicut & Reſpublica Veneta, hoc remedio aliquando fuit uſa, & Patrum decreto hoc propoſuit Edictum: Ut quicunque è Populo, pecuniâ, commeatu, militevé, aut Claſſem, aut Militares copias juviſſent; fore ut ubi cum hoſte debellatum eſſet, ex eorum numero, triginta qui optimi meriti crederentur, ad Patritium ordinem traducerentur, daturos ad hæc Patres operam, ut quinque Aureorum millia, quotannis reliquis dividerentur.

IV. Extra ordinem quoque Principes, Magiſtratus, & officia, vendunt: quod non, niſi ſummâ urgente neceſsitate eſt approbandum. *Bodin. d. c. 2. n. 651. Bornit. h. lib. 2. cap. 6. Nicol. Betſius, tract. d. pact. famil. cap. ult. fol. m. 740. &c.*

Contra mercatores Poteſtatum, graviter diſputat Imp. Juſtinianus, cùm ait: *Novell. 8. à pr.* Hoc omninò procuremus, ut Præſides gentium, quicunque Civiles adminiſtrationes Provinciarum habent, puris manibus utantur; & ab omni abſtineant acceptione; pro ijs ſolis contenti, eis quæ à Fiſco dantur. quod non aliter fiet, niſi & ipſi cingula ſine mercede percipiant; nihil omninò dantes, nec occaſione ſuffragiorum, neque ijs qui cingula habent, nec alij omninò ulli. Conſideravimus enim, quia licet quæſtus immodicus imminuitur Imperio: attamen noſtri Subjecti incrementum maximum percipient, ſi indemnes à Judicibus conſerventur; & Imperium & Fiſcus abundabit, utens locupletibus Subjectis, &c. Sic & dicebat Alexander Sever. Imperator: Neceſse eſt ut qui

emit vendat. *Lampri.* quod idem animadvertisse dicitur Ludovicus XII. Rex Galliarum: Ejusmodi Mercatores, quod emissent aversione, vēdere sigillatim, dicens. Certè contra eum qui officium emit; præsumptio est, omnia eum postea perversè acturum. *Paris de Puteo, tr. Syndicat. tit. d. offic. Syndicator. vers. Dicitur. nu. 2. f. 95. adde Michaël. Piccart. observ. histori-co-polit. dec. 2. c. 4.* Hâc etiam ratione ditiorum prædæ officia exponuntur, Pauperes ab omni dignitate contra Christianam pietatem excluduntur. Et tamen ad hocce remedium confugerunt interdum Rerumpublicarum administratores. Venetus Senatus, ut sumptus belli adversus Maxæmilianum Imperatorem gerendi haberet, statuit: ut is qui ex plebe civis, munus perpetuum à Republicâ obtineret, si decuplum stipis annuæ, aut si ea non sit, lucri summam, de quâ apud Magistratum constaret, Reipublicæ intra dies quindecim dari curavisset; id omninò munus, ipso mortuo, aut filius aut nepos, aut frater ejus consequeretur, aut is, quemcunque sibi ipse ejus muneris heredem instituisset. *Bembus, lib. 10. & 12. hist. Venet.* Sed inprimis illud est stupendum, quod pro vero Jovius, *in Pompeio Column.* refert: Clementem VII. P. M. cùm expugnatâ Româ ab exercitu Caroli V. etiam Arcem, consumpto commeatu, in quam confugerat, Cæsarianis dedidisset; & ex pacto militi stipendium persolvendum esset, conflasse argentum omne, & aurea vasa Sacra, ut inde dividenda Militibus pecunia cuderetur. eâque nec sufficiente, concessisse tres Purpureos Galeros, ut illis licitantibus, qui fædâ ambitione corrupti, ad Senatoriam dignitatem adspirabant, aurum proferrent; eoque modo ad hastam propositis, emptores non defuisse. Et adhuc hodie omnia Officia Romæ Venalia sunt. Auctor Thesauri Polit. *relat. di Roma, f. 39.* Gl' officij tengono questa conditione, che vacano per morte, òverò per creatione in Cardinale, di chi li tiene; & la Camera torna à venderli, aprezandoli per l' ordinario cento per ogni dieci d' utilità.

Romæ

Romæ etiam ex Cardinalibus quidam Datarius nominatur, qui pro officij sui ratione omnia Ecclesiastica officia, omnium Provinciarum vendit. *Nicol. de Marbais, en la supplic. sur les causes, d' assembler un Concile. f. 216.* ita ut vulgari proverbio feratur: Nihil plus difficile, & magis impossibile esse, quàm Romæ sine argento Beneficium obtinere. *de Marbais, f. 222.* In Gallia quoque usu venire solet, ut omnia officia, pretio certo addicantur. quod Petr. Matthæus, *hist. des dern. troubles. lib. 3. f. 88.* summæ necessitatis colore defendit. Quandoque Officiales, cautionis loco pecuniam apud Fiscum deponere coguntur, &c.

V. Tandem quoque Ærarium auget Liberalitas Vicinarum Rerumpublicarum. Sicq; Rhodij hâc unicâ viâ tantum potuerunt ædificare Colossum. *Polyb. lib. 5.* Nec minoribus præsertim Principibus atque Rebuspublicis, id erit inhonestum. *Arnisæ. 2. c. 5. f. 163.* Nonnunquàm ex pacto confœderatorum, mutui auxilij caussâ, aliquid Socij pendunt. Ita domum Austriacam & Saxonicam mutuo pacto ad subsidia suggerenda, Bello & hoste imminente obligari, Bornitius attestatur. *d. Ærar. 3. c. ult.*

Cap. VII.

ÆRario qui præsint, Quæstores sunt constituendi; dicti ab eo, quòd inquirendæ, conservandæ, & expendendæ pecuniæ publicæ caussâ creantur. *1. polit. 7. l. 2. §. 22. d. Orig. Iur.* Cammer: oder Rentmeister: Cammer Räth. Quorum origo apud Romanos

manos fuit antiquissima, & penè ante omnes Magistratus: *l. 1. de offic. Quæst. Alex. ab Alexandr. 2. Genial. cap. 2.* & quo officio, omnis omninò indiget Respublica. Sub Augustis Procuratores Cæsaris, sive Rationales fuerunt appellati. *Hûc & pertinet t.t. C. de Officio Comitis Sacrarum largitionum. de Officio Comitis rerum privatarum. de Officio Comitis Sacri Patrimonij; & ibi Henr. Scotanus, in Paratitl. fol. 140. &c.* Quid verò sit Exactor, Superexactor, Censitor, Peræquator, Inspector, Opinator; docet Paul. Busius. *3. subtil. c. 3.*

Boni Quæstoris munus expressit Marcus Cato Uticensis, de quo vide Plutarchum *in vita.* Felix est Rex qui habet virum scientem ordinare reditus & expensas. Quam felicitatem Lusitaniæ Regibus nunquàm contigisse, Conestagius scribit. Cùm inibi Quæstores semper fuerint ex Nobilium numero; quibus gratia Aulica potiùs, quam peritia ad illud Officium aparuerat viam: unde tantùm illos operam dedisse ait, ut aliis rationibus dignitatem & locum tuerentur, de reditibus Regni parum interim solliciti. *lib. 1. de conjunct. Portugall. & Castell.* Felicior in eo fuit Henricus Magnus Rex Galliarum, qui hâc in parte usus est operâ fideli Marchionis de Rhosni. Quem licet sugillet Waremundus, *d. subsid. c. 6. num. 19.* Et eum tamen laudibus magnis depredicat Petrus Matthæus. *lib. 1. del' hist. de France. ad fin.* Turcarum Imperatores, Ærario quos suo præficiunt, parte necessariâ corporis privant: quod an rectè fiat, contra Bodinum disputat Kirchnerus. *disp. d. Republic. 16. corollar. 1.*

2. Ut fideles prudentesque laudandi sunt Quæstores: ita è contrà Exactores, exactionumque Architectones illegitimarum (forgeurs des daces) à Principe non sunt audiendi.

Cujus-

Cujuſmodi homines publicâ etiam Ludorum Equeſtrium lege infamantur. Turnier Articul/ 9. & 11. *ac jam dixi diſp. polit. 3. th. 49. claſſ. 1.* Magiſtros Ærarij conficiendi habemus ubique quàm plurimos (ait Bodinus) *6. d. R. c. 2. à princ.* qui Civium opes exhaurire, ac Principes ad inuſitata Vectigalium genera urgere conſueverunt. Eorum verò, qui tam artificioſè iſta conſectantur, qui dignitatis & honeſtatis in eo genere rationem haberet, vidi neminem. Exactores hi plerunque Extranei ſunt, & hoc medio ad magnas dignitates, favoris aurâ adſpirant. Accommodant ſe ad Ingenium Regis, & partim indagando modos inveniendi argentum; partim removendo obſtacula, quæ Regis conſilijs & propoſito, moram aliquam injicere poſſe videntur. *Coneſtag. 1. d. Portug. & Caſtell. conjunct. f. m. 36.* Tales fuerunt ſuperioribus annis in Gallîâ, Itali nonnulli. Quod tanquàm maximum gravamen, inter alia, etiam ij prætenderunt, qui Bella inibi Civilia concitârunt. *Hiſtoir. des troubl. lib. 2 f. 47. & f. 50. b.* Non hi Principi, ſed ſibi conſulunt. Unde Bernard. Girard. *lib. 2. deb' hiſt. de France. f. 126.* de Protade Conſiliario Brunhildis: Conſeillant à ſon Maiſtre, de faire des Exactions, le prouſit dequelles il tiroit; qui eſt une choſe couſtumiere. Reperiuntur hodie, ait, Waremundus ab Erenberg, *d. ſubſid. cap. 6. per tot. & poſt eum Keckerm. diſput. pract. 34. problem. 14.* Magiſtri, novos modos colligendi & pecuniæ conficiendæ, diligentiâ, laboreque excogitantes, & Principibus vendentes: quibus ſollemne eſt, ut Principibus perſuadeant; Collectas inſtitui poſſe ſine injuriâ, ſine damno Subditorum, & nullum ex Subditis fore, qui non hilari vultu, & ſummo cum gaudio Tributum impoſitum ſolvat. Dulce Tributum ſuadentes, dignos laqueo judicavit prudentiſſimus Landtgravius Haſſiæ Philippus. Tales digni ſunt, non præmio, ſed laqueo, virgis & gladio digniſſimi. Quò pertinet apophthegma, relatum à Caſp. Ens, 2. *Epidorp. fol.* 187. Cardinalis quidam apud omnes gravi odio laborabat, quòd Pon-

tifici novarum Contributionum auctor vulgò crederetur. Quùm verò coram Pontifice & quibusdam secretioribus Consiliarijs, pecuniæ conficiendæ rationes inirentur; quidam Cardinali parùm æquus: Equidem, inquit, sanctissimè Pater, nullam ego meliorem citra omnem Subditorum querelam, imò cum ipsorum quoque gaudio, colligendæ pecuniæ rationem noverim; quàm ut Armellino (id enim Cardinali nomen erat) pellis detrahatur, & per ditionem vestram, ut Luporum pellibus fieri aliàs solet, circumferatur. Neque enim dubito, quin vestri Subditi omnes, pro eâ saltem inspiciendâ, stipem ultrò sint collaturi. Hisce Nebulonibus Princeps omni conatu obsistere tenetur & illud cogitare: Deum pro maxumo beneficio Populo suo dato, illud recensere, quòd ab exactoribus eum liberârit. *Hippol. à Collib. in Principe. cap.* 33. Consulentes, inquit, Rebuffus, *ad l. eum. de verb. signif.* Principi, ut nova imponat Tributa & Vectigalia sine magnâ causâ, esse in Inferno Pœnis Tartareis cruciandos perpetuò. allegans illud, *in Machabæor.* Et tu qui Inventor omnis malitiæ factus es, non effugies manum Domini: Cogita itaque quòd morieris, & citò, & generatio tua citò extinguetur. Illi enim Deo quo pacto possunt esse grati, qui ut floreant, proximo in calamitate, nullâ spe salutis apparente, sit tabescendum. Hic addendus est omninò Erasmus *tr. de Lingua, fol.* 144. Ubi refert elegantem historiam, de quodam exactionis suasore, qui sepeliri voluit Lutetiæ in ore Cloacæ, &c. Bonum prædicant isti Exactores, quod pessimum est in Regno. Et generaliter, nulla res sic exterminat Bonum, quemadmodum Simulatum Bonum. Unde laudatur Xerxis Pater Darius, qui cùm Subditis tributum indixisset, accersitis Provinciarum Præfectis, eos interrogavit; An Tributum illud grave Populis esset. Et isti, mediocre esse respondissent; jussit ut dimidiam tantùm ejus partem exigerent. *Plutarch.* Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cavetur; malum autem

autem sub specie Boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi Bonum suscipitur, & idem conjunctum Bono, exterminat Bonum. Tales Consiliarios probarem, qualis fuit Gorellus Orilia, qui prudentissimè Ladislaum Regem suum Neapolitanum, circa inusitata tributa occupatum, monuisse legitur; Non posse ab hoste ullo proficisci consilium eo nocentius. *Jovian. Pontan. d. prudent. lib. 5.* Aut qui Erythrium, Præfectum Imperij sub Zenone, imitantur: qui maluit Magistratu se abdicare, quàm majus onus, præter Tributa ordinaria Populo imponere: cùm tamen Fiscum exhaustum profusionibus & largitionibus Cæsarum, non esse sufficientem ferendis impensis Publicis videret. *Suidas in Erythrio.* Non omnis Regio Tributa & Vectigalia graviora ferre potest. Inde Joh. Mariana, *3. d. Regis Inst. cap. 7.* prudenter scribit: Illud sit persuasum, non convenire Hispaniam magnis Vectigalibus gravari. Primùm, quoniam magnam ejus partem squalidâ siccitate loca, rupes horridæ, & saxa tenent. Sæpè propter aëris siccitatem, annonæ penuriâ laboramus, ut proventus labori, & sumptibus non respondeat: ubi grave sit novis Tributis, & magnis, calamitatem temporis augere. Deindè ab Aratoribus in Hispania, & Pastoribus, alijsque omnibus agricolis decumæ fructuum omnium, integrâ fide Templis persolvuntur. Quòd si tantundem prædiorum Dominis, certè qui agros proprios non habent, pendere cogantur; quantulum miseris reliquum erit unde ipsi vivant, & quod in Ærarium conferatur: cùm potius eos sublevare; ex quorum labore & industriâ universa Provincia sustentatur, æquum profectò videatur. *& quæ ibi adduntur observatu omninò digna.* Prudens quoque Princeps, non statim novis illis Inventoribus aurem præbere; sed ea quæ ipsi proponunt sedulò priùs examinare debet. Sunt nimirum illa inventa quandoque in thesi speciosa; sæpiùs multà præsupponunt ejusmodi homines, quæ falsissima reperiuntur. *v. huius rei documenta apud Bodinum d. c. 2, num. 663. & seq.*

3. Exactores partem Tributorum sæpiùs antevertere solent falsis rationibus, aut nomine impensarum: ut in Regno Scotiæ evenisse notat Buchananus. *lib. 10. fol. 357.* Tales publicè benè sunt notandi. Quam verò pœnam mereantur hujusmodi Principum Ministri, qui in Exactionibus mandati sui, aut Justitiæ limites excedunt, pro lubitu illas augendo; ostendunt Leges à Romanis Imperatoribus latæ in Superexactores: quibus hi non tantùm dupli pœnâ, læsis Subditis applicandâ; verùm etiam capitali supplicio, si in delicto perseverent, puniuntur. *l. un. Cod. d. Superexactor. lib 10. Nicol. Betsius, d pact. famil. cap. ult. fol. 737.* Sanè Officiales, alijque quibus res aliqua specialiter est credita, perfidè in eâ versantes, furtum committunt: imò Officialis non est eo in casu à Peculatu immunis. *§. 9. ubi Interpretes. Inst. d. Public. Iudic. l. un. C. d. Peculat. l. 2. d. tutel. & ration. distrah. l. 33. d. furt. l. 55. §. 1. d. admin. & peric. Tutor. l. ult. C. d. his qui ex publ. rat. lib. 10. Petr. Frider. Mind. d. process. extrah. 2. c. 13. num. pen. & ult.* Nec ideò capitis pœnam effugere potest. *vid. Wesemb. in paratit. ff. d. Peculat. Ioh. Papon. lib. 22. tit. 2. arrest. 1. Theod. Petreus, conclus. criminal. thes. 47. & 53. Iacob. Alemannus, decis. 2.* Hancque sententiam post operosam disputationem Clarissimorum Jureconsultorum, prævaluisse memini. Quamvis Matth. Colerus, *decis. tom. 1. decis. 207.* Compilatores consultat. decision. Saxonicarum, *part. 4. decis. 3.* & Doctores communiter dissentire videantur.

4. Tandem juvabit cernere Ærarij descriptionem, quale fuit sub optimo Principe Trajano: de quo ita scribit C. Plinius. *in Panegyr. fol. 72. edit. Justi Lipsi.* Quàm juvat cernere Ærarium silens & quietum, & quale ante delatores erat? Nunc Templum illud, nunc verè Deus: non Spoliarium Civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum, ac toto in Orbe Terrarum adhuc locus unus, in quo, Optimo Principe, Boni malis impares essent. Manet tamen honor Legum, nihilque

hilque ex publicâ utilitate convulsum: nec Pœna cuiquàm remissa, sed addita est ultio, solumque mutatum, quòd jam non delatores, sed Leges timentur. At fortasse non eâdem severitate Fiscum, quâ Ærarium cohibes? imò tanto majore, quanto plus tibi licere de tuo, quàm de publico credis. Dicitur Actori atque etiam Procuratori tuo; in Jus veni, sequere ad Tribunal. Sors & urna Fisco Judicem assignat. Licet rejicere, licet exclamare: Hunc nolo, timidus est, & Bona Seculi parum intelligit: Illum volo quia Cæsarem fortiter amat. Eodem Foro utuntur Principatus & Libertas. Quæ præcipua tua gloria est, sæpiùs vincitur Fiscus: cujus mala caussa nunquàm est, nisi sub bono Principe. Ingens hoc meritum; majus illud, quòd eos Procuratores habes, ut plerunque Cives tui non alios Judices malint, &c.

CAP. VIII.

SUbiungendum est aliquid de CENSV. Conducit enim ut publicè notæ sint facultates. *Bodin. 6. d. Rep. cap. 1. fol. 980. Keckerm. diss. pract. 34. problem. 10.* quod sanè opus est arduum, cum primis inassuetis. *v. Tabulam Æneam, Lugduni existentem, representatam à Guil. Paradino, en l' hist. de Lyon, lib. 1. cap. 19.* Nec solùm utile est, si bonorum Adæratio fiat; sed & si Ætas, numerusq; Civium describatur. *latè Philip. Hœnnon. diss. polit. 6. th. 6. usque 15. Iob. Coras. ad l. 8. ff. d. statu hom.* **Tauff: vnd Todten Bücher / Stewr Bücher.** Natales & emortuales dies probè sunt notandi; conficienda etiam Inventaria Feudalium bonorum, quibus exactè à Bonis, quæ allodij jure possident Vasalli,

seiungantur: quæ omnia ad lites abbreviandas maximè conducunt.

Cùm Vectigalium compendia omnia, exigi oporteat juxta normam æquitatis; æquitas autem potissimùm ex proportione Bonorum sit consideranda & ponderanda; at proportio investigari nequeat, nisi singula bona Civium excutiantur, inquirantur & æstimentur: instrumentum ideò adinventum fuit Census, quo singulorum Civium patrimonia æstimentur & censeantur. Qui nihil aliud est, quàm æstimatio & designatio Bonorum singulorum Civium, publicè facta. *Bornit. h. 5. cap. 2.* Et quoque Censura Romanorum, primitùs non ad Morum castigationem inventa fuit; sed ad omnium Civium descriptionem, ætatem, numerum, ordinem, conditionem, & fortunarum omnium ac facultatum æstimationem. Servius Tullius, sextus Rex Romanorum, Censum primus instituit, quo & paci & bello opportuna redimentur. Ab hoc, inquit Lucius Florus, Populus Romanus relatus in Censum, digestus in classes, Curijs atque Collegijs distributus, summâq; Regis solertiâ ita Respublica est ordinata; ut omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina, in tabulas referrentur: ac si maxuma Civitas minimæ Domus diligentiâ contineretur. *v. Petr. Gregor. Tholos. 3. c. 4. num. 7. &c.*

2. Forma Census hodiè plerunque observari solet, ut singuli Cives profiteantur quantùm habeant in Bonis. alicubi illa professio fit mediante juramento: Geschworne Stewr. Pœna autem de Incensis, id est; de his, qui se censeri, bonaq; æstimari nollent, vel malâ fide minoris quàm valerent æstimari paterentur, ex Lege à Servio Tullio lata (teste Livio) erat vinculorum, mortisque, aut (secundum Dionys. Halicarnass.) ut publicatis bonis, verberati venderentur. Hodiè nonnullis in locis usu est receptum, Daß die Obrikheit das Vermögen/

vmb

vmb so hoch es von einem geschetzt wirdt / an sich zulösen befügt ist. Itidem contra eum, qui bona publicis Collectis & exactionibus obnoxia non profitetur, exercetur actio commissi. At si quis profitetur quidem rem, sed in fraudem minoris æstimat; id tantùm quod istam æstimationem excedit, non tota res incidit in commissum. *Thom. Maullius, d. homag. c. 9. num. 136. &c.*

II. Necesse etiam est, ut Breviarium, seu Rationarium Imperij habeat Princeps. *Bodinus, 6. d. Rep. cap. 2. num. 672. Scipio Amirato. lib. 1. discors. 4. Clapmarius, 5. d. Arcan. cap. 14.* Fürstliche Tischreden / *lib. 1. cap. 1.* Circa quod, occasione datâ, latiùs excurrere lubet.

Senator Catonis Junioris exemplo *(de quo vide Plutarch. in vita. num. m. 6.)* causas Populi teneto, eique nosse Rempublicam necessarium est; id quod latè patet. Quid habeat Militum, quid valeat Ærario: quos Socios Respublica habeat, quos Amicos, quos Stipendiarios; quâ quisque sit Lege, conditione, fœdere? tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla majorum. Quod omne scientiæ, diligentiæ, memoriæ est; sine quo paratus esse Senator nullo modo potest. *Cic. 3. d. Legibus. fol. 460. edit. Gothofr.* Princeps hæc eadem, eò magis scire debet; quòd ei soli, tantùm oneris, quantùm in Republica Senatoribus multis incumbit. Adrianus Imperator, omnes publicas rationes ita complexus est, ut domum privatam, quivis paterfamiliâs diligens non satis novit. *Spartian. in eius vita. fol. 132. edit. Sylburg.* Eâdem ratione Consiliarius, qui Principi assistit, plurimùm quoque studij & diligentiæ ad ea omnia, etiam minima cognoscenda, quæ ad Principatum in quo est, spectare videntur, ponet. Principem etiam & Aulam ex omni parte indagabit; ut & cæterorum admi-

administrorum & Consiliariorum naturam, mores: quæ, quantaque sit omnis ditio Principis, quæ provinciæ, civitates, oppida, loca, illi ditioni subjecta sint? Provinciæ verò ipsæ, quot millia passuum habeant in longitudine, quot in circuitu: locorum, inquam, ambitum, situm. utrùm montibus, mari, flumine, vallo, fossâ, lacu munita sint; quæ eorum opportunitates, an commeatu prohiberi possint; an sit ubertas vel inopia rei frumentariæ; quæ commoda & incommoda habeat Respublica? Quidnàm in Principatu controversum, & cum quibus, quibus de causis, quæ ratio Provinciæ administrandæ, quæ Leges fundamentales, quæ jura, Leges, libertates, quo more utantur, quâvé disciplinâ, usu & consuetudine regantur; quibus rebus delectentur Cives, quibus se sustentent, quomodo erga Principem sint affecti? Quodnám vectigal eorum quæ invehuntur vel evehuntur, ex pascuis agrorum publicorum, ex sale, vino, oleo, frumento, ex mercaturâ, ex Subditorum tributis? Quodnám Ærarium: an Subditi nimijs tributis, vectigalibus, alijsvé oneribus premantur? an mercaturæ studio teneantur: an opibus abundent? Quantus militum numerus, in quâlibet Provinciâ conscribi possit? Quænám Principis familiæ origo: quæ conjunctiones, affinitates, & amicitiæ; quæ Fœdera, & quæ ex ijs speranda? quorumnám partes Princeps defendendas susceperit? Et ad summam, in omnia etiam minutissima, quæ neglecta, Reipubl. detrimento esse possunt, omne studium, curam, cogitationem & solertiam conferet. *Hippolyt. à Collib. Consiliar. fol. 262. &c. addatur omninò Aristoteles. 1. Rhet. cap. 4.*

2. Quæ omnia si memoriæ securè mandari nequeant, litterarum æternitati consecrentur. Idque exemplo Principum versatissimorum. Sic Augustus Successori propriâ manu perscriptum reliquit Libellum, qui totius Imperij erat Breviarium. eo opes publicæ continebantur: quantum Civium Sociorumque in armis, quot militum sub signis ubique essent;

quot

quot classes, Regna, Provinciæ, tributa ac vectigalia, & necessitates ac largitiones? Quantum pecuniæ in Ærario & Fiscis ac vectigalium residuis? Adjecta erant & libertorum servorumque nomina, à quibus ratio exigi posset. *Tacitus, 1. annal. fol. 9. Sueton. cap. ult. in August. Dion. lib. 56. edit. Oporin. fol. 362.* Similiter Amurathes, ejus nominis 3. qui Turcis nostrâ memoriâ imperitavit, ante omnia Statum Imperij sui sibi quàm perspectissimum esse volebat; & in hunc finem proprios Commentarios, omnium negotiorum quæ occurrebant, omnium redituum, qui quovis modo ad ipsum perveniebant, & sumptuum, qui diebus singulis expendebantur, penes se in mensâ quâdam repositos habebat; qui post ejus mortem in filij manus pervenerunt, quiq; eos diligenter asservat. *Lazar. Soranzius, Ottomanni cap. 49. Aliorum Principum exempla habet Bodinus, d. cap. 2. lib. 6. num. 672. & seq.* Hæcque ejusmodi Rationarij confectio & possessio, tam arctè Imperio est juncta; ut cùm Augustus tædio diuturnæ valetudinis, de reddendâ Republicâ cogitaret, Magistratibus ac Senatu domum accitis, id Rationarium, tanquàm certissimum Regni Symbolum, eis tradiderit. *Sueton. August. cap. 28.* Quo fine, & post mortem parentis, Tiberium, cùm Imperij successionem spernere simularet, sæpè dictum Libellum in Senatu proferri recitariqúe jussisse, probabile videtur. *Tacit. suprà alleg. fol.*

3. Id autem studij, quod Princeps in legendis & relegendis talibus Libellis impendit, non sufficit; sed necesse est, ut mutentur, augeantur, & pro rerum in ijs contentarum varietate varientur. quod Carolum M. non neglexisse legimus. *Aventin. lib. 4. Annal. Bojor. Bernard. de Girard. Seigneur du Haillan. lib. 4. histor. Francicæ. fol. 369.* Is enim quæcunque audiebat, vel ei in mentem veniebant, & memoriâ digna judicabat; quò eorum posteà faciliùs memor esset, tabulis cereis, quas huic fini semper præsentes habebat, mandabat. Nec minùs priscâ institutione, Romanis Imperatoribus censuum

Brevia quotannis mittebantur: diligentia namque boni Seculi, fidem publicæ instructionis exigit. Siquidem convenit Principes & parentes humani generis edoceri, quid reverendo Ordini, vel Senatorum novus accessus adjiciat, vel excusationibus detrahatur. *Symmachus*, 1. *epistolâ* 46. Ante omnia verò sapientiæ & bonitati Principali convenit, omnium Provinciarum sibi subjectarum, fortes & præstantes viros (quos vel famâ notos habeat) eorumque qualitates, consignare: quò nimirùm vacante aliquo loco officij, eorum memor esse queat. Hi qui se contineri hoc libro sciunt, alacriores erunt, & se opinione Principis sui pares gerere studebunt: ij verò, quorum nomina in hoc libro nondum inserta sunt, mille pericula, quò eò perveniant, non fugient. Ideò in hoc nostro libello, & Principis manuali, singularis titulus (vel caput) huic rei adaptetur, Tituluſq; Honoris indigitetur. Et cùm Princeps excellentem virtutem alicujus commendari audit, post condignam informationem, hunc clarâ voce suo Breviario adscriptum, pronuntiet. Id quod Ludovicus XII. etiam in constituendis Judicijs laudabiliter est secutus: Mortuo quippè Agennensis Consistorij Præside, honorificentissimum hoc & præclarissimum officium, Studioso cuidam juveni, quem Aurelijs elegantissimè perorantem audiverat, & ejus nomen, hoc quem proponimus modo, notaverat, gratis contulit. Sicque & aliàs in honoribus decernendis faciebat. *Blaise du Montluc. comment. milit. lib. 7. fol. 216.* Alexander Severus, milites suos sic ubique scivit, ut in cubiculo haberet Breves, & numerum & tempora militantium; semperque cùm solus esset, & rationes eorum, & numerum & dignitates & stipendia recenseret, ut esset ad omnia instructissimus. De promovendis etiam sibi adnotabat, & perlegebat cuncta Pittacia (sunt rationes & commentarij annonarum militarium, &c. *Cujac. ad l. 5. lib. 12. Cod. tit. de Castrensi peculio Milit. &c.*) & sic faciebat, diebus etiam pariter adnotatis, & quis, & qualis esset, & quo

quo insinuante promotus. *Lampridius, in ejus vita. fol. 212.* (Vide apud Montlucium, *2. des commentair. fol. m. 77.* notatu digniſſimum exemplum; quo edocemur quid ad Victoriam obtinendã proſit, Principem ſcire nomina Militum ſuorum) Magis & faciliùs hoc Belli Dux obſervabit. Odet de Foix, non ſolùm omnium Capitaneorum, qui ſub ſuis ſignis militabant, & præcipuorum militum nomina in recenti memoria habebat, ſed & eorum fortia facta notabat. Non tamen ſibi commendatos notâſſe ſufficit, ſed neceſſe eſt ut Princeps, ſecundùm qualitatem cujuſque perſonæ & meriti, vel notatos promoveat, vel ſi id ſtatim commodè fieri nequit, donis ſuâ collatis manu, & verbis gratioſis exhilaret. *Montluc. dict. loco. fol. 217.* Hocque modo indigni non promovebuntur, & quod magis eſt, ij qui ita promoti ſunt, gratiam ſoli Principi, non vilibus proxenetis habebunt.

4. Denique ipſe quoq; Deus Opt. Max. quondam Moyſi & Aaroni, univerſæ congregationis filiorum Iſraël, per cognationes & domos ſuas, & nomina ſingulorum, quicquid Sexus erat Maſculini, à viceſimo anno, & ſuprà, omnium Virorum fortium tollere ſummam, & per Turmas ſuas numerare, juſſit. Inde liquet, Davidem, qui hoc exemplum ſecutus, Iſraël & Judam numerari voluit, ut ſciret numerum ejus; *2. Samuel. cap. ult. 1. Paralipom. 21. Ioſephus, 7. Antiquit. cap. 50. fol. 201.* non punitum fuiſſe, ut ambitioſum quidpiam adgreſſum: ſed in eo deliquiſſe, quòd ſummam Filiorum Iſraël computans, à ſingulis quoddam pretium, juxta Legem non abſtulerit, & Domino conſecrârit. Quod Ceremoniale præceptum, ſi non neglexiſſet, plaga in Populo recenſito non extitiſſet. *Exod. cap. 30. verſ. 12. Ioſeph. dicto loco. latè Petr. Gregor. Tholoſan. 3. d. Rep. cap. 5. num. 5. &c.*


FINIS.

ERRA-

ERRATA.

Fol. 15. lin. 17. pro detrimentum, lege detrimenti. *Fol.* 18. lin. 30. pro ſcirent, lege ſciret. *Fol.* 19. lin 17. pro obſcio, lege obſonio. *Fol.* 22. lin. 20. pro impetandi, lege impetrandi. *Fol.* 23. lin. 3. lege Titus Veſpaſian. *Fol.* 26. lin. 24. pro venalum, lege venalium. *Fol.* 39. lin. 12. pro negabant, lege negabunt. lin. 14 pro pollicenter, lege pollicentur. *Fol.* 40. lin. 16. pro Faſtigatione, lege Fuſtigatione. *Fol.* 41. lin. 20. dele non. *Fol.* 42. lin. 26. pro ab, lege ad. *Fol.* 50. lin. 19. lege non offert. *Fol.* 63. lin. 30. pro evectiones ſunt levandæ, lege invectiones ſunt lev. *Fol.* 96. lin. 23. pro concedendarum, lege condendarum. *Fol.* 107. lin. 19. pro wit / lege wie. *Fol.* 109. lin. 17. pro Exceprion. lege Exemption. *Fol.* 110. lin. 29. pro junctæ, lege junctæ. *Fol.* 113. lin. 13. pro nimium, lege nimirum. *Fol.* 115. lin. 4 pro immemoralis, lege immemorialis. lin. 27. pro interpretio, lege interpretatio. *Fol.* 120. lin 4. pro exige, lege exigi. *Fol.* 130. lin. 18. pro Subditis, lege Subditus. *Fol.* 147. lin. 14 pro Iuriſdictionem, lege Iuriſdictionis. lin 22. pro perferendam, lege præferendam. *Fol.* 148. lin. pen. pro Dominum, lege Dominium. *Fol.* 153. lin. 17. pro ſubidis, lege ſubitis *Fol.* 160. lin. 17. pro aparuerat, lege aperuerat. *Fol.* 168. lin. 30. lege verſutiſſimorum. *Cætera aquus Lector non iniquo animo feret, & facilè corriget ipſe.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [178] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [179] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [180] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [181] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [182] - -




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [183] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1:Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [184] - -



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: ZEN Leibn. Marg. 0,1;Leibn. Marg. 0,1, Stück 11, [185] - -
PUBLIC DOMAIN